CONSTITUTIONES COMITIORUM

REGNUM CROATIAE, DALMATIAE & SLAVONIAE

SPECTANTES.

(EX CORPORE JURIS HUNGARICI EXCERPTAE.)

EDIDIT

JOANNES KUKULJEVIĆ ALITER BASSANI DE SACCHI.



ZAGRABIAE, 1862.

VELOCIBUS TYPIS DRIS. LUDOVICI GAJ.

PARS TERTIA.

CONSTITUTIONES COMITIORUM

REGNUM CROATIAE, DALMATIAE & SLAVONIAE

SPECTANTES,

(ex Corpore Juris Hungarici excerptae.)

ZAGRABIA.

Typis Doctoris Ludovici Gaj. 1860.

ANDREAE II. REGIS DECRETUM ANNI 1222.

De mardurinis solvendis.

Articulus 27.

Mardurinae, juxta consuetudinem a Colomano Rege constitutam, solvantur.

Quod praeter Palatinum, Banum, et Curiales Comites Regis, et Reginae, nullus duas dignitates teneat.

Articulus 30.

Item, praeter hos quatuor Jobagiones, scilicet Palatinum, Banum, Comites Curiales Regis et Reginae, duas dignitates nullus teneat.

LUDOVICI I. REGIS DECRETUM UNICUM, ANNI 1351.

Nobiles, inter fluvios Dravae, Savae, ac de Posega et de Valko, a solutione mardurinarum exempti habeantur.

Articulus 12.

Lucrum etiam Camerae nostrae, Nobiles inter fluvios Drava, Sava, ac de Posega et Valko, cum aliis viris Nobilibus Regni nostri, unanimiter solvere teneantur.

§. 1. Nec ratione collectae mardurinarum, Bansulmora vocatarum, amodo, et imposterum molestentur.

§. 2. Sed ab omni exactione aliarum quarumlibet collectarum, hactenus persolvi consuetarum, exempti penitus, tanquam caeteri Nobiles nostri aliarum partium et immunes habeantur.

GRATIA, PER SIGISMUNDUM IMP. & REGEM INFIDELIBUS, AC REBELLIBUS SUIS FACTA;

Anno 1403 post fugam ex arce Soklyos.

§. 1. Quod, quia Nos, ad instantem et devotam supplicationem fidelium nostrorum Baronum, Procerum, et Nobilium Regni nostri Ungariae, hic nobiscum praesentialiter existentium, quorum precibus propter eorum fidelia et gratissima servitia, atque fidelitates eximias, consensum non possumus denegare; Decrevimus: cum omnibus rebellibus, aemulis et adversariis nostris, in Regnis nostris Ungariae et Sclavoniae, nec non in partibus Transylvaniae constitutis et existentibus, veram pacem facere, et concordiam stabilire.

§. 2. Idcirco, Nos praedictorum fidelium nostrorum supplicationibus favorabiliter annuentes, ex innata Nobis Clementia, omnibus et singulis Praelatis, Baronibus, Nobilibus, militibus, clientibus, nec non cujuscunque alterius status et praeeminentiae, vel conditionis hominibus, in Regnis nostris praelibatis Ungariae et Sclavoniae, nec non partibus Transylvaniae, commorantibus, ad eosdemque pertinentibus, gratiam faciendam duximus, in hunc modum etc.

§. 12. De familiaribus vero quorumcunque aemulorum praefatorum nostrorum, nec non de quibuscunque Nobilibus, in praefatis Regnis nostris, Ungariae, Sclavoniae, et partibus Transylvaniae possessiones habentibus, decernimus; quod in praesens, gratia ipsis generaliter, suffragetur. Ita tamen: quod infra anni revolutionem proxime futuri, a die datarum praesentium inchoando, causa fidelitatis ostendendae, coram nostra Majestate se praesentando, literas nostras Regales pro se obtineant superinde.

13. Quod si forte nonnulli, ex rebellibus et aemulis nostris superius designatis, seu ex sequacibus eorum, aliqua spolia, incendia, damna, maleficia, rapinas, caedes, seu alias cujuslibet generis offensiones deinceps commiserint, vel perpetraverint, seu quicquam contra Majestatem nostram attentare praesumpserint; videlicet illi, inter partes Transylvanienses et Dravam commorantes, post dies octo; illi vero de partibus Transylvaniensibus post dies viginti: Sic illi, qui sunt trans Dravam, post dies quindecim, a die datarum praesentium in antea computandos; volumus, quod possint, non obstantibus contentis in literis nostris, secundum formam juris, et justitiae condemnari.

SIGISMUNDI IMP. & REG. DECRETUM VI. SIVE MAJUS, ANNI 1435.

De Judicibus Ordinariis Regni, et eorum juramento.

Articulus 1.

§. 1. Statuimus: Ut semper successivis temporibus, omnes et singuli Judices et justiciarii dicti Regni nostri, tam Ecclesiastici, quam saeculares, qui videlicet in Palatinum, Judicem Curiae Regiae, Magistrum Tavernicorum Regalium, Cancellarium, aut Vice-Cancellarium Regalem, in Proto-Notarium et Vice-Gerentem Judicum praetactorum, ac etiam Assessores eorundem in judicio; in Waywodam partium Transylvaniensium, Comitem Siculorum, Banum Regnorum Dalmatiae et Croatiae, Banum Sclavoniae, Banum Machoviensem, ac Comites quorumlibet Comitatuum, et Judices Nobilium, eligentur, assumentur, eorumque in judicatu Vice-Gerentes, Substituti, et Assessores; tempore receptionis eorundem, ad hujusmodi honores et officia, administrationis judicii et justitiae; in manibus nostris Regiis, vel deputatorum a Nobis, juramentum praestare teneantur, per formam verborum infra scriptorum, videlicet sic etc. *)

---

*) Confer. Mat. Reg. Decr. 6. art. 68. et 73. Ulad. Decr. 1. art. 10. 33. 42. Decr. 2. art. 8. Decr. 3. art. 2. et 4. Decr. 4. art. 2. 8. et 10. Decr. 6. art. 1. et 3. Decr. 7. art. 55. et alios ibi citatos. Denique An. 1723. art. 25. et Kitt. c. 10. q. 15. et seqq.

Ecclesiarum res, et bona, saeculares non occupent.

Articulus 21.

Adjicientes statutis superioribus statuimus; quod nullus Comes, Banus, Waywoda, seu alius Officialis Regius, cujuscunque conditionis, denominationis, et dignitatis existat, Ecclesias Episcopales, Archi-Episcopales, Abbatiales, Praepositales, et alias quascunque Regio jure patronatus disponendas; earundemque tenutas, pertinentias, decimas et possessiones, intra terminos et limites sui honoris, seu officiolatus; absque speciali mandato Regio, occupare; aut se de eisdem, partialiter, vel totaliter ingerere praesumat.

ALBERTI REGIS DECRETUM UNICUM, ANNI 1439.

De lucro Camerae, Quinquagesima et Mardurinis.

Articulus 7.

Lucrum Camerae, in Regno Ungariae: Quinquagesimam in partibus Transylvaniensibus, ac Mardurinas Regno Sclavoniae, exigi consuetas; more alias ab antiquo consueto, exigi faciemus.

§. 1. Reducentes ad statum, tempore praefati quondam Domini Ludovici Regis, *) observatum.

LADISLAI POSTHUMI REGIS DECRETUM II. ANNI 1454.

Regnum Sclavoniae et aliae Provinciae, ac Civitates Regiae; adinstar aliorum Regnicolarum Regni Ungariae, militare teneantur.

Articulus 9.

Item, omnes Liberae Civitates, tam nostrae Regales et Reginales, quam Dominorum Despoti et Comitis Ciliae, aut aliorum Magnatum; nec non totum Regnum nostrum Sclavoniae, de quibus lucrum Camerae nostrae solvi non consuevisset; modo praemisso, connumerari debeant.

§. 1. Et similiter Philistaei, Comani, Valachi, et Tartari connumerati, debeant exercituare.

MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM II. ANNI 1464.

Regnum Sclavoniae et Partes Transylvaniae, in libertatibus suis conserventur.

Articulus 13.

Regnum nostrum Sclavoniae et Partes Transylvaniae; in omnibus antiquis bonis libertatibus, consuetudinibus et juribus suis conserventur. **)

---

*) Ejusd. Decreti, art. 12.

**) Confirmatur An. 1649. art. 33.

Judices Ordinarios Regni verberantis, poena notae infidelitatis.

Articulus 19.

Si qui Proto-Notarium, Vice-Palatinum, Banum, Vice-Banum, Comitem, vel Vice-Comitem, vel alios Judices Ordinarios Regni nostri, tempore Sedis Judiciariae, aut etiam alias; sine causa verberarent, interficerent, aut captivarent; habita superinde probatione legitima, in nota et poena perpetuae infidelitatis, convincentur.

MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM III. ANNI 1471.

Castra Regis et aliorum, non aliis, quam Ungaris, conservanda assignentur.

Articulus 6.

Item, quod tam Regalia, quam Baronum et aliorum omnium Nobilium Regni nostri Castra finitima, in partibus scilicet superioribus et inferioribus; sive in Regnis Sclavoniae, Dalmatiae, *) Croatiae et in partibus Transylvanis habita; ad conservandum Ungaris (personis scilicet dignis, et idoneis) et non Forensibus, collocentur.

MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM IV. ANNI 1478.

Judicia generalia non celebrentur, nisi in certis Comitatibus.

Articulus 7.

§. 1. Demptis Comitatibus, Posega, Walko, Sirmiensi, Baronya, Chanadiensi, Themesiensi, Zarand et Orodiensi, in quibus diversa furticinia, latrocinia, mutilationes, hominum venditiones, decollationes, aliaque multiplicia malorum genera committi dicuntur.

MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM V. ANNI 1481.

Rasciani, ad decimas solvendas non teneantur, nec propter eos Ecclesiasticum interdictum Christianis imponatur.

Articulus 3.

Item, quod Rasciani et caeteri hujusmodi Schismatici, ad solutionem decimae, non adstringantur, et neque per Comites Parochiales instar aliorum, ad hujusmodi decimarum solutionem compellantur.

§. 1. Quodque ad Christianos (in quorum medio tales Schismatici morantur, aut e contra) ratione ipsorum Schismaticorum, ob non solutionem decimarum, interdictum Ecclesiasticum non imponatur.

*) De Castris Dalmatiae, quorum hic mentio, vide infra Anni 1596. art. 32. et Imaginem Ung. Novae, pag. 208. et seq.

Christiani, societatem cum Rascianis contrahentes, ex portione tantum sua, decimam solvant.

Articulus 4.

Item, quod si quando Christiani, cum praefatis talibus Rascianis et Schismaticis, societatem, sive contractum habuerint, et araturas, sive alias agriculturas pari auxilio fecerint; de parte fructuum Christianis cedenda, decimae solvantur: De reliqua vero parte, talibus scilicet Schismaticis cedenda; tales decimae non exigantur.

§. 1. Hoc tamen adjecto, et per expressum declarato; quod tales Rasciani, sive Schismatici, non censeantur, et neque sint in perpetuum ab hujusmodi decimarum solutione exempti, sed tantummodo per aliquos annos, et interim, quousque scilicet bono modo, se tales alienigenae et transfugae, in Regno Ungariae, et dominiis Sacrae Coronae subjectis firmabunt; et ut talium transfugarum exemplo, etiam alii, ditioni Turcorum subjecti, ad veniendum tanto promptiores efficiantur, quanto tales, qui jam venerunt, tanta praerogativa conspexerint esse donatos.

ARTICULI, DE OFFICIO PALATINATUS. ANNO 1485.

Dalmatiae Judex.

Articulus 12.

Duodecimo; tota Dalmatia subjacere debet judicio Palatini: Et pro proventibus, habet in illa certas insulas. *)

MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM VI. SIVE MAJUS, ANNI 1486.

Causae potentiarum, damnorum et injuriarum, in primis Octavis: Si vero in facto possessionario fuerint; in secundis diffiniantur. Et evocationes, omnes Judices dare possint.

Articulus 6.

§. 3. Evocationes vero cum insinuatione, in quibuscunque factis fuerint: sub sigillis omnium Judicum Ordinariorum, tam scilicet Regiorum, quam Palatinalium, et Judicum Curiae, atque etiam Banorum Sclavoniae, Croatiae, et Dalmatiae, sed et Waywodae Transylvani, libere decernantur.

Bani, et Comites, in Ecclesias Dei, quarum jus patronatus ad Regem spectat; se ingerere non praesumant.

Articulus 37.

Item, statutum, et diffinitum est, prout etiam per Serenissimum quondam Dominum Sigismundum Imperatorem sancitum fuisse dignoscitur.

*) Maxima pars Dalmatiae subjacebat tunc dominatui Reip. Venetiarum.

§. 1. Quod nullus Banus, Comes, Waywoda, seu alius Officialis Regius, cujuscunque tituli, authoritatis, dignitatis, et praeeminentiae existat; Ecclesias Archi-Episcopales, Episcopales, Abbatiales, Praepositales et alias quascunque juri patronatus Regio conservatas, et disponendas, earumque pertinentias, fructus, et reditus; sed neque decimas et possessiones, intra terminos et limites sui Honoris, seu Officiolatus, absque speciali mandato Regiae Majestatis occupare, aut de eisdem partialiter, aut totaliter se ingerere praesumat.

Judicatus Comitatus Zagoriae, in Regno Sclavoniae, cesset: et quod appellatio fiat ad Banum.

Articulus 50.

Item conclusum est: Quod judicium, et judicatus Comitum Zagoriae, in Varasdino hactenus celebrari solitum, aboleatur, et amodo, nullo unquam tempore, celebretur.

§. 1. Quodque causantes in illo Comitatu, ad Sedem, seu judicium Banorum Sclavoniae, spectare debeant et teneantur.

Judices Regni Ordinarii qui sint? Et quod nemo in Sedem Judiciariam, nisi vocatus, intrare possit.

Articulus 68.

§. 3. Isti autem subscripti, videlicet; Magister Tavernicorum, Magnus Seneschalcus, Banus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, et Waywoda Transylvanus, non censentur Judices Ordinarii, et idcirco ad Sedem judiciariam Regiae Majestatis, non vocati, intrare non debent, neque tenentur.

Judices Regni Ordinarii, et eorum Vices-Gerentes, nec non Comites, Vice-Comites, Proto-Notarii, Assessores, aliique, Regni judicia exercentes; juramentum suis locis praestent.

Articulus 73.

§. 1. Quod perpetuis semper successivis temporibus, omnes Judices, et Justitiarii hujus Regni, tam Ecclesiastici, quam Saeculares, qui videlicet in Palatinum, Judicem Curiae Regiae, Magistrum Tavernicorum, Cancellarium, aut Vice-Cancellarium, in Proto-Notarios, seu Vices-Gerentes Judicum praetactorum, et etiam Assessores eorundem; Banum Sclavoniae, Waywodam Transylvanum, et in Comites quorumlibet Comitatuum, ac Judices Nobilium eligentur, et assumentur, eorundemque Vices-Gerentes, et substituti; tempore assumptionis ipsorum ad hujusmodi officia, in conspectu Regiae Majestatis, juramentum honestum, de servanda fidelitate et administranda justitia, praestare debeant.

ULADISLAI II. REGIS CONFIRMATIO JURIUM CONSUETUDINUM, & LIBERTATUM REGNI, ANNO 1490.

§. 12. Item, quod Waywodatum Transylvaniensem, Comitatum Siculorum et Themesiensem, Posoniensem; praeterea Banatum Sclavoniae et Dalmatiae et Croatiae, nec non Sirmiensem, Nandor Albensem et de Jaicza, aliaque loca et Castra finitima, nec non Civitates Regales; non aliis, praeterquam Ungaris pro officiolatu dare et conferre valeamus, bene tamen meritis.

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM I. SIVE MAJUS, ANNI 1492.

Rex, omnes Status et Ordines Regni, in eorum antiquis libertatibus conservet: Novitates per MATTHIAM Regem introductas aboleat: Ordinariis proventibus sit contentus.

Articulus 1.

Imprimis, quod Regia Majestas, Regnum Ungariae, cum caeteris Regnis, scilicet, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae et partibus Transylvanis, ac Provinciis sibi subjectis, Dominosque Praelatos et Barones, omnes Ecclesias, Ecclesiasticasque personas, ac Nobiles et Civitates, nec non caeteros incolas et inhabitatores eorundem Regnorum, et partium Transylvanarum, conservabit in antiquis juribus, privilegiis, immunitatibus et consuetudinibus approbatis, in quibus scilicet, per Divos quondam Reges conservati, quibusque gavisi et usi fuerunt.

§. 1. Ita, quod nullas prorsus novitates (quemadmodum quondam Dominus MATTHIAS Rex) in eorundem detrimentum, et oppressionem, contra hujusmodi antiquas libertates ipsorum, sub aliquo quaesito colore, introducat.

§. 2. Introductas vero per eundem quondam Serenissimum Dominum MATTHIAM Regem, aboleat.

§. 3. Contributionem vero, seu taxam unius floreni, nulla ratione exigat: Sed antiquis, justis, ordinariis, et consuetis proventibus Regalibus sit contenta. *)

Dignitates et officia, Ungaris conferentur.

Articulus 8.

Waywodatum Transylvaniensem et Comitatum Siculorum, ac Themesiensem, praeterea Banatum Sclavoniae, Dalmatiae et Croatiae; nec non Sirmiensem, Nandor-Albensem et de Jajcza, aliaque loca et castra finitima; nec non Civitates Regales, non aliis, praeterquam Ungaris, pro officiolatu, Regia Majestas dare et conferre valeat, bene tamen meritis.

Duces et Comites quomodo in bellum prodeant, qui similiter Banderia habent?

Articulus 21.

Sunt etiam Domini Duces in hoc Regno, videlicet: illustrissimi Domini, Joannes

*) Andr. II. a. 3. Szilágyi, a. 5. Mat. Decr. 4. a. 2. Ulad. Decr. 1. in Artic. Sclavon. a. 2. Ulad. Decr. 5. a. 1.

Corvinus et Laurentius de Wylak. Sunt praeterea Comites Perpetui et Liberi, utputa: Spectabiles et Magnifici Domini, Stephanus de Zapolya terrae Scepusiensis, nec non Joannes et Sigismundus de Bozyn et de Sancto Georgio, cum fratribus eorum, ac Comites de Frangepanibus et de Corbavia, qui instar Baronum Banderia habentium, secundum exigentiam facultatum et numerum Jobagionum ipsorum, exercituare tenebuntur.

Proventus Regii, Lucrum Camerae, Quinquagesima et Mardurinae, quomodo exigantur?

Articulus 26.

Lucrum Camerae in Regno Ungariae, Quiquagesimam in partibus Transylvanis, ac Mardurinas in Regno Sclavoniae exigi consuetas; Majestas Regia, more ab antiquo consueto, temporibus videlicet quondam Dominorum SIGISMUNDI et ALBERTI Regum, exigi faciat. *)

De Palatini authoritate, Judicibus, Officialibus Regiis, Comitibus et Assessoribus, Vices-Gerentibus, Proto-Notariis Judicum Ordinariorum, ac forma juramenti eorum.

Articulus 33.

§. 1. Et ut omnis suspicio, quae contra ipsum Palatinum et alios Judices, et Justitiarios ipsius Regni, de favore, vel odio, aut quomodocunque concipi possit, de cordibus quorumlibet penitus removeatur et tollatur; semper successivis temporibus, omnes et singuli Judices, et Justitiarii istius Regni, tam Ecclesiastici, quam Saeculares, qui videlicet in Palatinum, Judicem Curiae Regiae, Magistrum Tavernicorum Regalium, Cancellarium, vel Vice-Cancellarium Regalem, in Proto-Notarios, vel Vices-Gerentes Judicum praetactorum, ac etiam Assessores eorundem in judicio, in Waywodam Partium Transylvanarum, Comitem Siculorum, Banum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Banum Machoviensem, ac Comites quorumlibet Comitatuum, et Judices Nobilium eligentur et assumentur, eorundemque in judicatu Vices-Gerentes, substituti et assessores, tempore receptionis eorundem, ad hujusmodi honores et officia administrationis judicii et justitiae; in manibus Regiis, vel deputatorum ab ipsa Majestate Regia, juramentum praestare teneantur. **)

Octavae duae, in Transylvania, et Sclavonia, celebrentur.

Articulus 41.

Item, quod in Transylvania et Sclavonia, similiter singulis annis, aliae duae Octavae, videlicet: Epiphaniarum Domini et Sancti Jacobi celebrentur.

---

*) Andr. II. a. 27. Ludov. I. a. 12. Albert. a. 7.

**) Sigis. Decr. 6. a. 1. Mat. Decr. 6. a. 73.

§. 1. Et similiter, vigesima de hujuscemodi festivitatum inchoentur, et durent quousque necessarium videbitur. *)

Judices Regni Ordinarii qui sint? Et qui ad judicium intrare possint? Ac de custodia ostii domus Judiciariae.

Articulus 42.

§. 3. Isti autem subscripti, videlicet: Magister Tavernicorum, Magnus Senechalcus, Banus Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae et Waywoda Transylvanus; ad Sedem Judiciariam Regiae Majestatis non vocati intrare non teneantur.

Judices Regni Ordinarios diffamantium, vulnerantium et interimentium poena.

Articulus 70.

§. 4. Si qui vero Judices Regni Ordinarios, aut eorundem Vices-Gerentes, scilicet: Vice-Palatinum, Vice-Comitem, Vice-Banum, Magistros Proto-Notarios, aut alios Judices Ordinarios Regni, quacunque causa verberarent, interficerent, necem, vel verbera eis minarentur, aut captivarent, vel in personis eorum, qualitercunque offenderent; habita superinde probatione legitima, in nota et poena perpetuae infidelitatis convincantur. **)

ARTICULI NOBILIUM REGNI SCLAVONIAE:

In Decreto praesenti, secundum deliberationem Regiae Majestatis, ac Dominorum Praelatorum et Baronum, Regnique Nobilium inserti, sequuntur hoc modo:

Sclavoniae Regnum Rex in suis libertatibus conservet.

Articulus 1.

Majestas Regia, inter caetera sua Regna, dictum Regnum Sclavoniae, in antiquis eorum libertatibus, immunitatibus, privilegiis et consuetudinibus conservare pollicetur. ***)

Contributionis, quae in Ungaria offertur; in Sclavonia, dimidia pars exigatur, pro numero portarum.

Articulus 2.

Si Majestas Sua, incolis Regni sui Ungariae, quibuscunque ex rationibus, nunc et temporum in successu, aliquas solutiones fieri statuerit; extunc talium solu-

*) Octavae Banales in Sclavonia; An. 1715. a. 121. Et An. 1723. a. 89.

**) Mat. Decr. 6. a. 54. Confer. Anni 1723. a. 10. circa medium. Et Anni 1715. a. 55. Ubi hic articulus confirmatur.

***) Anni 1715. a. 120. et 125.

tionum medietatem in Regno suo Sclavoniae, juxta ipsorum consuetudinem, semper et usque ad haec tempora observatam, exigere habeat et teneatur.

De salium Cameris in Regno Sclavoniae.

Articulus 3.

Camerae salium in illo Regno fiant, prout tempore quondam Divi SIGISMUNDI Regis, ubicunque necessarium fuerit: Fiant tamen secundum hoc; ut etiam dispositum est in Ungaria.

Camerarii salis Regii, in domibus incolarum, sales non possunt quaerere.

Articulus 4.

Quod Camerarii, in domibus incolarum, sales quaerere non valeant, sed si eosdem in campo, aut foris, vel in nundinis invenire poterint; eosdem auferendi liberam habeant facultatem.

§. 1. Quaerant tamen, sed sine calumnia, et coram Judicibus Nobilium illius Comitatus.

§. 2. Particulas, seu minutas salium, auferre non valeant.

Sales Regios et maritimos, pro frugibus commutare possint.

Articulus 5.

Sales quarumcunque Camerarum Regalium, tam qui ducuntur navibus, quam curribus, ac etiam maritimi, quos scilicet maritimos sales pauperes illius Regni, propter eorum inopiam et pecuniarum defectum, solent pro bladis permutare; libere emere, vendere, et eisdem uti possint.

§. 1. De quibus maritimis salibus, Tricesimae Majestatis Regiae proveniunt, ita; si sales Regales deficerent, et Camerarius Regnicolis sales dare nequiret, et non aliter.

Vina, blada, animaliaque, solutis Tricesimis, e Regno educere possint et vendere.

Articulus 6.

Vina, blada, et animalia, cujuscunque generis, persolutis Tricesimis, ac tributis justis et consuetis, quo volunt et poterunt, libere abigere et vendere possint.

Tricesimae, in locis antiquis, more veteri exigantur: De minutis autem rebus, infra valorem unius floreni, non exigantur.

Articulus 7.

Tricesimae exigantur, juxta antiquam consuetudinem, sicuti temporibus Dominorum LUDOVICI, SIGISMUNDI et ALBERTI Regum, in locis alias consuetis.

§. 1. De minutis autem rebus, infra valorem unius floreni, Tricesimatores nullam Tricesimam exigere praesumant.

Quod Regia Majestas, omnia eorum privilegia confirmare debeat.

Articulus 8.

Quod Regia Majestas, omnia jura et privilegia illius Regni Sclavoniae, a Divis Regibus, Suae scilicet Majestatis Praedecessoribus eidem concessa, confirmare dignetur.

Comites procedere ad executiones, nisi de Sede, et cum literis Regnicolarum, non possint.

Articulus 9.

Comites non possint procedere ad quascunque executiones, nisi de Sede et Commissione, ac cum literis Regnicolarum et Sedis, prout ab antiquo fuit observatum.

In Castrorum, Castellorum et possessionum occupatorum remissione; idem modus observetur, qui in Regno Ungariae.

Articulus 10.

In requisitionibus et rectificationibus Castrorum, Castellorum, oppidorum, villarum, seu possessionum, aliorumque cunctorum jurium possessionariorum, per quoscunque, post obitum dicti quondam Domini MATTHIAE Regis, a sese qualitercunque occupatorum; servetur idem modus, prout in Regno Ungariae, in Articulo superinde confecto, declaratus est.

Damna Nobilibus, et aliis post obitum MATTHIAE Regis illata, requiri possint, modo eodem, quo in Regno Ungariae.

Articulus 11.

Quia plures sunt in Regno, qui post mortem quondam Domini MATTHIAE Regis, temeritate propria, aliis in domibus eorum quiete morantibus, plurima damna, nocumenta, et injurias irrogare, et inferre praesumpserunt.

§. 1. Propterea statutum est: Quod hujusmodi damna, nocumenta et injurias, sive in personis, sive bonis et rebus, quomodocunque passi, occasione talium damnorum, nocumentorum et injuriarum, eos, qui irrogarunt, judicio convenire, et ab eisdem sua damna, nocumenta et injurias, jure mediante requirere, libere possint et valeant.

§. 2. Ita, quod postquam tales evocati fuerint; in primis Octavis, ex parte eorum, absque qualibet dilatione judicium administretur. Et hoc fiat eo modo; sicut in Regno Ungariae.

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM II. ANNI 1495.

Rasciani, Rutheni et Valachi, decimas non solvant.

Articulus 45.

Sunt plurima loca in confiniis Regni sita, in quibus Rasciani, Rutheni, Valachi,

et alii schismatici in terris Christianorum habitant, et de eisdem terris hactenus, juxta eorum ritum viventes, nullas penitus decimas solvere consueverunt, quos tamen ipsi Domini Praelati ad decimas solvendas cogere niterentur.

§. 1. Et quia ipsae decimae in patrimonium Christi dedicatae, a Christi fidelibus, et non aliis schismaticis hominibus (praesertim vero illis, ad vocationem, Regiae Majestatis, ac Waywodarum, Banorum, et caeterorum Officialium, ipsa confinia Regni tenentium, dicta loca incolentibus) exigi solent: Ob hoc ordinatum est, et conclusum.

§. 2. Quod amodo de caetero, ab ipsis Rascianis, Ruthenis, Valachis, et aliis schismaticis, in quibuscunque terris Christianorum residentibus, nullae penitus decimae exigantur. *)

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM III. SIVE MINUS, ANNI 1498.

De Octavarum et brevium judiciorum celebrationibus: nec non Assessoribus eligendis et eorum salariis.

Articulus 2.

§. 8. In Transylvania autem et Sclavonia, consimiliter duae Octavae majores, videlicet, festorum Epiphaniarum Domini et Beati Jacobi Apostoli: Nec non duo judicia brevia, festivitatum Beatorum Georgii Martyris et Michaelis Archangeli celebrentur. **)

Capitulum Bosnense, per totum Regnum exequutiones facere valeat.

Articulus 12.

De Capitulo Bosznensi ***) statutum est: Quod ex quo ejus Canonici totaliter destructi esse dignoscuntur, pro reformatione Ecclesiae illius (quae in honorem Sancti Petri constructa est) habeant facultatem ubique per totum Regnum, pro testimonio Capitulari ambulare: Adinstar Capituli Budensis.

Banderia Archi-Episcoporum, Episcoporum, Abbatum, Praepositorum, Capitulorum: Et numerus equitum.

Articulus 20.

Sunt autem isti Viri Ecclesiastici, qui Banderia eorum ordine infrascripto semper levare, et cum eisdem exercituare tenebuntur (caeteris exmissis).

§. 7. Episcopus Zagrabiensis, Banderium unum. — §. 12. Episcopus Sirmiensis, equites quinquaginta. — §. 19. Prior Auranae, Banderium unum.

---

*) Confer. Anni 1723. a. 85.

**) Anni 1715. a. 121. Et Anni 1723. a. 27.

***) Quod Deakovii, in Comitatu Valkonensi residebat.

De Baronibus, qui cum Viris Ecclesiasticis Banderialis exercituare, seu militare tenentur.

Articulus 22.

§. 1. Item Comites de Bozin et de Sancto Georgio: ac Comites de Frangepanibus et de Corbavia. — §. 3. Despotus autem, equites mille dare tenebitur. — §. 4. Dux Laurentius 500 (item). — §. 11. Joannes Ernust de Chaktornya. — §. 13. Emericus de Peren. — §. 14. Gabriel de Peren. — §. 19. Ladislaus de Kanisa. — §. 20. Joannes de eadem. — §. 21. Georgius de eadem Kanisa. — §. 22. Thomas Groff, Comes de Bozin. — §. 23. Petrus similiter Groff, de eadem. — §. 24. Franciscus similiter Groff. — §. 26. Georgius Pankircher de Zalatnok. — §. 32. Blasius de Raska. — §. 33. Andreas Both de Bajna. — §. 37. Stephanus Jaxith de Nagylak. — §. 38. Franciscus Berizlo de Grabaria. — §. 39. Joannes Berizlo de eadem. — §. 40. Albertus de Zokol. — §. 41. Despotus autem cum Huszaronibus mille. — §. 42. Belmusavith, cum omnibus Huszaronibus suis.

Tricesimarum antiqua loca.

Articulus 34.

§. 4. Item in Sclavonia: Zagrabia, Nedelcze, Varasd, Muraszombath, sunt capitales Tricesimae.

§. 5. Szombathel loco Küszegh, Pinkvafölde, Radafalva, Hidegkuth, Ráczkanisa, Vinicze, Krapina, Stubicza, Stanisniák, Topozka, Koszthanycza, sunt filiales ad easdem.

§. 6. Nandoralba, est capitalis Tricesima: Kelpen, Sabácz, Archy, Barich, Szent-Demeter, Rácha, Pothos, Apaiocz, Uyvár, sunt filiales ad eandem.

De judicio, inter Nobiles et Civitates Regias, cognoscendo.

Articulus 38.

Quod liberae Civitates, videlicet Buda, Pesth, Cassovia, Poson, Sopron, Bárthfa, Eperies, Tyrnavia, nec non Leuchovia, Mons-Graeciae, et omnes aliae liberae Civitates, earum denique incolae; Nobilibus et possessionatis hominibus, injurias aliquas, seu damna inferentes; si talis Civitas, seu incola et civis, injuriam et damna inferens, habuerit possessiones et jura possessionaria in aliquo Comitatu, et ex illis bonis Nobilem laeserit, seu damnificaverit; si videlicet tales laesiones, seu damnificationes, factum minoris potentiae tangere dignoscuntur; teneatur propterea in illo Comitatu, ubi illa bona habet, coram Comite juri stare.

§. 1. Si vero talis Civitas, seu civis, nulla jura possessionaria in aliquo Comitatu habuerit, et Nobilis, vel aliquis homo possessionatus, contra privatam personam, vel caeteros tantummodo et non cum tota communitate seu Civitate, causas, seu lites habuerit; extunc, talis Nobilis et possessionatus homo, contra totam Civitatem; vel e contra Civitas ipsa contra Nobiles et alios possessionatos homines, causam aliquam ratione actuum potentiariorum majorum, vel juris pos-

sessionarii, movere praetenderet; extunc talis causa, coram Personali Praesentia Regiae Majestatis, habita superinde legitima evocatione, moveatur et ordine juris terminetur.

§. 2. Et, si aliqua partium in hujusmodi causa contra sese in processu juris, coram ipsa Personali Praesentia, quovis modo succubuerit, si talis causa factum juris possessionarii tangere dignoscitur; extunc talis pars, non in majori onere, quam solummodo in ducentis florenis auri convincatur.

Castra finitima amittentes Officiales, puniri debent denegatione gratiae Regiae.

Articulus 42.

§. 2. Sunt autem hi, qui huic Regno in amissionibus castrorum notabila damna intulerunt: Nam quondam Ladislaus Egervára, castra Thersacz et Nerethva: Franciscus Haraszthi, castrum Koszoruvár: Georgius vero Popovigh, consimiliter castrum Komothin, tempore Majestatis Regiae, amiserunt.

Officia duo tenere possunt, Palatinus, Comes Curiae et Banus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae.

Articulus 70.

Nullus Baronum, aut Nobilium Regni (secundum contenta Decreti, quondam Domini ANDREAE Regis) duas dignitates, seu officiolatus; praeter Palatinum et Judicem Curiae, ac Banum Regnorum, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae; tenere possit et valeat. *)

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM IV. ANNI 1500.

Causae appellatae, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae et Transylvaniae, coram Judice Curiae Regis et quando discutiantur?

Articulus 6.

Causae Nobilium, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, partiumque Transylvaniae, in Curiam Regiam, per viam appellationis transmissae et deductae, coram Judice eorum Ordinario, Domino scilicet Comite et Judice Curiae Regiae Majestatis, sic determinentur; ut qualibet die Octavarum, vel brevium judiciorum, extra omnem seriem et ordinem Regesti, una causa alternatim discutiatur.

In Sclavoniae et Transylvaniae Regnis, quomodo judicia celebrentur?

Articulus 9.

Quoniam celebrationibus Octavarum et brevium judiciorum, in Regno Sclavoniae et partibus Transylvanis, juxta formam Decreti minoris fiendae, libertati et consuetudini ejusdem Regni Sclavoniae, partibusque Transylvaniae praejudicare plane dignoscuntur.

*) Andr. II. Anni 1222. a. 30.

§. 1. Propterea statutum est: Quod in Transylvania, solummodo Octavae festi Epiphaniarum Domini annuatim celebrentur, reliquae autem Octavae deponantur.

§. 2. In Regno autem Sclavoniae valeant aliae quoque Octavae celebrari.

§. 3. Attamen non eo ordine, quo in Decreto positum erat, sed juxta antiquam et approbatam consuetudinem eorum, alias semper observatam, celebrentur.

Juramenta in Ungaria, Croatia, Sclavonia et Transylvania, in eodem termino deponi alicui adjudicata; quomodo sint deponenda?

Articulus 18.

Quoniam plurimi Regnicolarum, tam in Ungariae, quam Croatiae ac Sclavoniae Regnis, partibusque Transylvaniae, bona et jura possessionaria possident, in quibus Octavae uno et eodem termino saepenumero celebrari consueverunt.

§. 1. Quapropter statutum est: Quod, si in hujusmodi Octavis cuipiam talium Regnicolarum, adversus causantes, juramenta in uno et eodem termino, hic et illic praestanda adjudicarentur; extunc, si quod illorum in termino ad id praefixo deponere non poterit; in onere et gravamine, exhinc subsequutis, non convincatur.

§. 2. Sed deposito uno eorundem, valeat postea in alio termino, juxta loci distantiam deponere et reliquum.

§. 3. Et hoc, eo modo; quod postquam juramentum unum quis deposuerit; subito teneatur accedere Judicem suum Ordinarium, qui pro depositione secundi juramenti terminum competentem, mediantibus literis exinde emanandis, eidem praefigat: In quo etiam termino, ejusmodi juramentum deponat, altera parte superinde prius avisata. *)

Exercituandi, sive militandi modus, quoad gentes suppeditandas per Regnicolas.

Articulus 21.

§. 1. Quod universi Regnicolae, tam Ecclesiastici, quam Saeculares, qui in serie ipsius minoris Decreti, inter Dominos Praelatos et Barones, caeterosque Banderiatos, ad exercituandum non fuere computati (demptis duntaxat Egregiis, Joanne Bornemisza de Berzencze, Thesaurario: Petro Pogan de Cheb: Joanne Podmaniczky de Podmanin: Georgio More de Chula: Marco Horvath de Kamichacz: Emerico et Martino Czobor de Czobor Sz. Mihál: Francisco Balassa de Gyarmath: Laurentio Bradach de Ladomercz: Francisco de Harazth et Osvaldo de Korlatkö, Aulicis Regiae Majestatis, qui de bonis et possessionibus ipsorum, gentes pro Regni defensione, per se modo infrascripto conservare debebunt, universa eorum bona, possessionesque et jura possessionaria, in medium Nobilium non Banderiatorum, consequenterque illorum Comitatuum, in quibus hujusmodi bona et possessiones habentur; et connumerare, computareque; et pecunias, in medium eorundem ad exercituandum de illis dare teneantur: Nec quisquam illorum de caetero e medio eorundem, quovis quaesito colore, se abstrahere et excipere praesumat.

---

*) Avisata, id est; admonita, seu certificata.

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM V. ANNI 1504.

Pro Transmissionibus Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae et Transylvaniae revidendis; quadraginta diebus judiciorum, quatuor addantur, in quibus causae ejusmodi discutiantur.

Articulus 30.

Ex quo causae Nobilium Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ac partis Transylvaniae, in Curiam Regiam per viam appellationis transmissae, de Octavis ad quas transmittuntur, in alias sequentes Octavas saepenumero protelantur; cum potissime ob multitudinem causarum Nobilium hujus Regni, illae levari et adjudicari nequeant.

§. 1. Eapropter statutum est: Ut ultra illos quadraginta dies, quibus Octavae majores celebrari solent; quatuor dies addantur.

§. 2. In quibus, Magistri Proto-Notarii, Assessores Sedis Judiciariae Regiae Majestatis, interesse teneantur: Causaeque praemissae Nobilium dictorum Regnorum, coram Judice eorum Ordinario, diebus in eisdem judicentur effective, atque terminentur.

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM VI. ANNI 1507.

Sententiae Judicum executioni demandari debent; etiam mediante Brachio Regali.

Articulus 1.

§. 10. Et quod Domini, Waywoda Transylvanus, et Comes Siculorum, ac Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, in eorundem officiolatibus, simili perfruantur facultate.

Officia Majestas Regia cum Consilio distribuat.

Articulus 5.

§. 2. Praeterea, universa officia finitima, Waywodatum scilicet Transylvaniensem, Comitatum Siculorum, Banatum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, etc. Comitatum Themesiensem, ac aliorum castrorum finitimorum Capitaneatum; personis benemeritis, cum consilio eorundem Dominorum Assessorum, et caeterorum Consiliariorum suorum, conferat.

§. 3. Ita tamen; ut haec castra finitima, videlicet Jaycza, Zeureniense, Nandoralbense (Belgrad), Sabacz, et Zebernik (Srebernik), *) Regia Majestas duabus semper personis pro officiolatu donet.

---

*) Vide Mat. Decr. 4. a. 6.

LUDOVICI II. REGIS DECRETUM II. BACHIENSE, ANNI 1518.

In causa triumphans, executionem facienti, viribus et facultate sua assistere debet.

Articulus 6.

De Dominis quoque, Judice Curiae Regiae, in Ungaria; nec non Bano Regnorum, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ac Waywoda Transylvano, sub eorum officiolatibus, in Sclavonia et Transylvania, per omnia idem est intelligendum.

3. Quod, si in Sclavonia, vel Transylvania continget; Nobiles quoque Regnorum illorum, pariter succurrere sunt obligati.

Bani ambo, ex castris finitimis non prodeant: et Provisores ad castra finitima deputentur.

Articulus 21.

Bani castrorum finitimorum, semper in eisdem castris finitimis maneant:

§. 1. Et unus eorum, sub nota perpetuae infidelitatis, nunquam de castro egredi audeat.

§. 2. Et quod ad omnia castra ipsa finitima, Provisores per Regiam Majestatem constituantur, qui tam ad ingenia; quam etiam victualia, et alia eorum necessaria (modo, tempore quondam Domini MATTHIAE Regis observato) providere teneantur.

LUDOVICI II. REGIS DECRETUM III. BACHIENSE, ANNI 1519.

In Sclavonia et Transylvania, eodem modo, uti in Ungaria; fiat executio judiciorum.

Articulus 22.

Quod executio in causis et judiciorum deliberationibus, tam in Sclavonia et Transylvania, sub eisdem conditionibus et poenis, quibus in Ungaria; semper fieri debeat.

LUDOVICI II. REGIS DECRETUM IV. BUDENSE, ANNI 1522.

Infideles, qui castra Nandoralbense et Sabacz amiserunt, pronunciantur.

Articulus 60.

Universa castra, castella, oppida, villas, possessiones, ac cuncta jura possessionaria illorum, qui castra Nandoralbense, et Sabacz nuper amiserunt; tanquam infidelium, vigore generalis Decreti condemnatorum; Regia Majestas ad manus suas Regias defacto accipiat:

§. 1. Et illa, nemini nunc distribuat; sed salvum conductum illis, si voluerint et postulaverint, concedat:

§. 2. Et post factum inter eos superinde judicium, postquam Majestas Sua Regia, etiam hoc modo condemnatos agnoverit; et deinde in ipsa expeditione proxime affutura, et aliis quoque in rebus, ac factis, Majestati Suae et Regno quospiam bene, fideliter, utiliterque servivisse agnoverit; illis tandem Majestas Sua, juxta voluntatis suae beneplacitum (si pro se non servaverit) illa conferat:

§. 3. Ut spe collationis bonorum, servitores animati, pro Reipubl. et communi bono Suae Majestatis et Regni sui, ferventius incumbant; et contra hostes ad mortem usque decertare non horrescant.

FERDINANDI I. IMPER. & REG. CONSTITUTIONES IN DIAETA BUDENSI ANNO 1527.

Factiosis, terminus ad veniendum in fidelitatem Regiae Majestatis, assignatus.

Articulus 1.

Inprimis conclusum est: Ut nonnulli Nobiles, qui partes Waywodae sequuntur, et cum eo in Partibus Transylvanis agunt:

§. 1. Et item Simon, Episcopus Zagrabiensis, Joannes Bánffi de Alsó Lindva, Antonius similiter Bánffi de Bolondok, Joannes de Tah et Franciscus de Homonna, qui soli ex ordine Dominorum utriusque status ad praestandam fidelitatem Regiae Majestati debitam, hactenus ad Suam Majestatem venire noluerunt.

§. 2. Generaliter vero, omnes Comites Parochiales hujus Regni et Partium sibi subjectarum, ipsam fidelitatem et obedientiam, praefato Domino Nostro clementissimo declarandam; ad festum Beatae Catharinae Virginis et Martyris, coram Sua Majestate sese praesentare debeant et teneantur.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM III. ANNI 1536.

Assessores etiam, in consilium admittantur.

Articulus 48.

§. 2. Quos denique; et cum eis simul etiam ex Sclavonia unum, qui ex potioribus ad id fuerit electus; Majestas Sua Regia non gravabitur in tractatibus pacis suo tempore admittere.

Banus in Regno Sclavoniae praeficiatur.

Articulus 50.

Item, in Regno Sclavoniae, pro ejusdem Regni defensione et tranquillitate publica restituenda; et ut ibi quoque omnia suo ordine gerantur; Majestas Regia curabit mature de Bano praeficiendo providere.

CONSTITUTIONES, IN CONGREGATIONE GENERALI, UNIVERSITATIS DOMINORUM & NOBILIUM REGNI SCLAVONIAE,

Pro festo Epiphaniarum Domini, Anno ejusdem 1538. CRISII celebrata, editae.

Contributio Regi oblata.

Articulus 1.

Inprimis, obtulimus Sacratissimae Regiae Majestati, Domino Nostro Gratiosissimo, subsidium duorum florenorum per anni circulum, in duobus terminis, de omnium bonis persolvendis:

§. 1. Ita, ut si Majestati Suae visum fuerit, faciat denuo Regnum dicari, et in ipsa dicatione illi inordinati liberi, qui hactenus eximi solebant (demptis Villicis ac Praeconibus, illisque, qui in domibus, allodiis, et Curiis Dominorum Nobilitaribus, ac Nobilium, residentiam faciunt) pro liberis et exemptis, minime serventur.

§. 2 Rustici etiam, non habentes bona sex florenos valentia; ne dicentur.

§. 3. Media autem pars illius subsidii, hoc est; unus florenus, ubique, statim postquam dicatio bonorum quorumcunque facta fuerit; decimo quinto die immediate sequenti, ad manus exactorum debeat administrari.

§. 4. Praeterito autem ipso decimo quinto die, mox Domini Bani, ad exigendum ipsum subsidium, more solito Spanos extramittere possint.

§. 5. Alter vero florenus, penes eandem dicationem, ad festum Pentecostes nunc venturum solvi debeat et administrari.

Exercituatio Sclavorum.

Articulus 2.

Unusquisque Dominorum, ac Nobilium, de singulis triginta sex Jobagionibus, seu fumis, juxta praemissam dicationem numeratis, pro custodia, et tuitione Regni; singulum unum equitem bene armatum, galeatum, loricatum, clypeatum et hastatum, per integri anni revolutionem, in confinibus penes Capitaneum Regni (ubi Domini Bani jusserint) continuo conservare debeant et teneantur.

§. 1. In conservatione autem hujusmodi equitum, nec Domini Bani, aut Vice-Bani, nec Magister Proto-Notarius, aut Judices Nobilium, nec alii cujusvis status, et conditionis homines, atque officiales, exempti esse valeant.

Magnatum et Dominorum in bellum profectio.

Articulus 3.

Omnes etiam Domini Magnates; et ipsi quoque Domini, qui Banderia propria levare non sunt soliti; gentes hujuscemodi de bonis eorum dari debendas, sub Capitaneum Regni dari debeant et teneantur.

Nobiles, quomodo in bellum vadant?

Articulus 4.

Conclusum insuper est; ut universi Domini, Nobiles, ac Regnicolae continuo parati se in bellum teneant, ut si hostis ipse, majoribus viribus atque copiis viscera Regni intraverit; aut castrum, sive fortalitium aliquod obsederit; et necessitas ipsa postulaverit; mox viritim, et cum quinta parte rusticorum, vel autem necessitate ipsa magis exigente, cum pleno numero (prout iidem rustici, per dicatores numerati fuerint) armati insurgere; et penes Capitaneum Regni, illo, quo opus fuerit, et quo Domini Bani jusserint; sine mora proficisci debeant et teneantur. *)

Capitaneus, bellum quomodo promulget?

Articulus 5.

Dum autem haec necessitas insurrectionis accesserit, Dominus Capitaneus Regni, accepta informatione et commissione Dominorum Baronum; curet ad singulum Judicem Nobilium, unum specialem, ad idque idoneum hominem mittere:

§. Penes quem, ipse Judex Nobilium, in suo processu, seu judicatu, proclamationes superinde facere, hujuscemodique gentes per omnia remedia levare tenebitur.

§. 2. Quas tandem idem homo Domini Capitanei, ad loca necessaria ducere debebit.

Vectura machinarum bellicarum.

Articulus 6.

Ad vehenda vero ingenia, quae Regia Majestas, Dominus Noster Gratiosissimus, ad praesentem particularem expeditionem dare dignata est: Civitas Crisiensis equos sedecim, et Civitas Zagrabiensis sive Montis Graecensis, viginti quatuor, una cum rhedis, et aliis ejusdem generis attinentiis: Ad vehendos vero pulveres, et alios ingeniorum illorum apparatus, Fratres Heremitae de Lepaglava, **) et alii Heremitae in hoc Regno degentes, duos currus, et equos duodecim similiter cum omnibus attinentiis, semper paratos tenere et conservare; ac ingenia ipsa, atque pulveres, eo, quo Domini Bani jusserint, vehi et conduci facere omnibus temporibus debeant et teneantur.

§. Quae quidem Civitates, ac Fratres Heremitae, ratione hujusmodi conductionis pixidum, sive ingeniorum, a conductu victualium infra conscriptorum, liberi sint et exempti.

Arces finitimae perlustrandae.

Articulus 7.

Supplicandum denique est Sacratissimae Regiae Majestati, Domino Nostro Gra—

*) Confirmatur hic insurgendi modus, quibusdam additis; An. 1659. a. 85. Et An. 1662. a. 6.

**) Religiosi S. Pauli primi Eremitae.

tiosissimo; ut Sua Majestas aliquem idoneum hominem in hoc Regno conservare dignetur, qui pro singula quarta parte anni castra finitima (assumpto penes se Capitaneo Regni) perlustrare, revidereque, ac defectum eorum reformare; vel illi, cui opus fuerit, recitare debeant.

Signa adventus Turcarum edenda.

Articulus 8.

Conclusum est etiam: Ut dum incursiones Turcarum accesserint, quae Regno et vicinis Provinciis Australibus nocivae esse possent; omnes et singuli Domini, atque Nobiles vicini, per ictus et sonitus bombardarum, ac per flammas ignis, et alia omnia signa, quae fieri poterunt, eisdem Provinciis significare, sub poena in Decreto expressa, debeant et teneantur.

Banis quaedam commendata.

Articulus 9.

Caetera vero, quae ad fortificationem confiniorum; ad excubias, ad vigilias et custodiam Regni pertinere, et non manifestanda videbantur; commendavimus Dominis Banis.

Nobilium et Sacerdotum domus a condescensione militum immunes.

Articulus 10.

Gentes et stipendiarii quorumcunque, in domibus, ac curiis Dominorum et Nobilium, ac etiam Plebanorum; nullibi condescendere audeant, neque praesumant.

Victualium cura.

Articulus 11.

Supplicandum etiam est Regiae Majestati; ut Sua Majestas dignetur mittere in hoc Regnum unum Magistrum victualium, qui hujus rei, seu officii peritus sit:

§. 1. Penes quem parati sumus nostrum hominem conservare, qui curam victualium, et aliarum ejusdem generis necessitatum habeant et gerant.

Pro commeatu currus parati habeantur.

Articulus 12.

Omnes Domini Nobiles et Regnicolae, de singulis viginti fumis, penes numerum dicationis computando, unum currum paratum semper, et victualibus oneratum tenere, et ad exercitum, ac loca depositionis, prout Magister victualium jusserit, conducere debeant.

§. 1. Quae quidem victualia, juxta limitationem exinde fiendam, pretio dividenda erunt.

§. 2. In qua conductione victualium, justa series et ordo, per Magistrum victualium servetur, ne alter majoribus fatigiis gravetur.

Currus juxta priorem dicationem praestentur.

Articulus 13.

Quia autem connumeratio et dicatio ipsa morosa fore videretur; victualia vero continuo necessaria sunt: Ideo conclusum est: Interim quoad Dicatores connumerationem ipsam perfecerint, penes priorem dicationem hujuscemodi currus servari.

Quibus in locis victualia deponantur?

Articulus 14.

Loca depositionis victualium erunt: Veröcze, Ujudvar et Velike, donec aliter superinde provisum erit.

§. 1. Et altera pars Regni, quae est penes Dravum, videlicet Comitatus Varasdiensis, et ab illo Comitatu, usque ad Veröcze, hujuscemodi victualia, ad idem oppidum Veröcze: Altera vero pars Regni, videlicet Comitatus Zagrabiensis, ex utraque parte Savi, usque ad flumen Kupa, nec non bona Episcopatus Zagrabiensis, et pertinentiae Castri Monoszlo, ac integer portus, ad Velike: Tertia denique et interior pars Regni, ad Ujudvar conducere, locareque debeant et teneantur.

Victualia, ad confinia quomodo contribuantur?

Articulus 15.

Insuper, ne et castra finitima casu aliquo victualibus destituta maneant, defectuque victualium (quod facile contingere solet) jacturam patiantur, conclusum est:

§. 1. Ut universi Domini Magnates et Nobiles Regni, atque etiam Capitula, vigesimam partem frugum, tritici scilicet ac siliginis et milii, ad confinia ipsa contribuere teneantur.

§. 2. Ac dum Dicatores Regni in dicatione processerint, Dicatori Regio, hominique suo, coram judice Nobilium, unusquisque Dominorum, ac Nobilium fidelium, omnes fruges trituratas, et non trituratas, ostendere et demonstrare debeat:

§. 3. Ubi Dicator ipse, vigesimam partem earundem sequestret, et apud manus ejusdem Domini, vel Nobilis, relinquat.

§. 4. Quam tandem vigesimam partem frugum, singuli Domini, atque Nobiles, eo, quo Domini Bani jusserint; propriis laboribus, fatigiis et sumptibus dare et deferri facere debeant, teneantur, et sint astricti.

Ecclesiasticarum personarum contributio deputata.

Articulus 16.

Et quia tempore proximae expeditionis, personis etiam Ecclesiasticis parcere

non poteramus, sed in eos quoque contributionem imposueramus, quam ad privatas Regni necessitates exponendam deputaveramus; nunc autem intelligimus Regiam Majestatem, Dominum Nostrum Gratiosum, ipsam contributionem personarum Ecclesiasticarum, aliter erogandam commisisse:

§. 1. Quare supplicandum est Regiae Majestati ut Sua Majestas dignetur contributionem illam nobis exigendam, et ad Regni necessitates exponendam concedere gratiose.

§. 2. Interim autem, donec a Sua Majestate exinde relationem veram obtinuerimus; universi Presbyteri, ac Plebani et aliae personae Ecclesiasticae, contributionem ipsam penes se conservare debeant.

Bonorum occupatorum restitutio in Regno Sclavoniae.

Articulus 17.

Primum et ante omnia, juxta commissionem et gratiosam concessionem Regiae Majestatis, universa et quaelibet bona haereditaria, sive possessionaria, atque etiam castra, hisce disturbiorum temporibus per quoscunque violenter occupata, statim et defacto per Dominos Banos, absque omni litis motione, spoliatis restituantur:

§. 1. Damna vero illata, semper jure requirenda sint.

§. 2. Ne autem aliqui perinde animati, causas eorum sinistre interpretantes, justis etiam detentoribus et possessoribus bonorum injuriam facere valeant; Domini Bani penes unumquemque spoliatum, ad requisitionem ejus teneantur dare Vice-Comitem et Judicem Nobilium, qui spoliatum ipsum, ad bona ab eo violenter occupata introducant, et illa a detentoribus eorum, una cum castris, ac fortalitiis, seu curiis Nobilitaribus, illi spoliato repetant.

§. 3. Ubi vero detentores bonorum, hujusmodi bona restituere etiam modo recusaverint; per eundem Judicem Nobilium evocentur in praesentiam Dominorum Banorum.

§. 4. Qui ad literatoriam relationem ipsius Judicis Nobilium, absque omni ulteriori prorogatione, si se detentores ipsi ab ipsa violenta et ulteriori detentione bonorum legitime expurgare non poterint; cum onere capitalis sententiae in Decreto expresso, per omnia remedia, bona ipsa et castra spoliato restituant:

§. 5. Non obstante etiam eo; si iidem detentores aliqua jura, super eisdem bonis se habere praetenderint.

Causae universae pro Dominica Reminiscere judicentur.

Articulus 18.

Judicia incipiantur pro Dominica Reminiscere, nunc futura, et universae causae tam factum bonorum et jurium possessionariorum; quam etiam actuum potentiariorum tangentes, a tempore felicis regiminis et coronationis Regiae Majestatis, Domini Nostri Gratiosissimi exortae; donationes quoque Regiae, judicentur.

§. 1. Vigore autem quorumcunque jurium antiquorum, nemo in causam se ingerere valeat.

§. 2. Causae tamen facti pignoris, omnes, etiam quantumvis veteres, judicentur et justo juris tramite discutiantur.

Citationes sive evocationes, quomodo fieri debeant?

Articulus 19.

Fiant Evocationes Dominorum et Nobilium possessionatorum per testimonium Capituli et homines Banales, pro quinto decimo die.

Taxa literarum.

Articulus 20.

Pro redemptione vero literarum Evocatoriarum, atque relatoriarum, Magistro Proto-Notario solvantur denarii quinquaginta, et Capitulo similiter denarii quinquaginta.

§. 1. Evocationes vero Nobilium unius sessionis fiant per Judicem Nobilium.

Colonorum migratio et ejus licentia.

Articulus 21.

Traductio colonorum, quae hactenus demeritis quidem rusticorum exigentibus inhibita erat; interdum etiam inordinata quadam et damnabili consuetudine in plerisque locis fieri solebat; omnium Dominorum, ac Nobilium et Regnicolarum uno voto et consensu admissa et concessa est; modo et ordine infrascripto.

Modus accipiendi licentiam colono.

Articulus 22.

Si quis colonum alterius ad bona sua traducere voluerit; assumpto penes se Judice Nobilium Comitatus illius, accedat Dominum illius coloni, vel officialem, aut villicum ejus: Et Judex Nobilium, depositis prius pro terragio denariis quatuor, repetat colonum et licentiam abeundi illi recipiat.

§. 1. Recepta tandem licentia, relinquat colonum in loco suae residentiae infra spatium quindecim dierum, ut interim omnia debita, quibus Domino suo terrestri, aut alteri cuipiam, qui illum ibidem requisitum habuerit, persolvat:

§. 2. Vel si Dominus ejus terrestris, benevolum in bonis suis reservare poterit; liberam superinde habeat potestatis facultatem.

§. 3. Ubi vero idem Dominus terrestris, hujusmodi colonum benevolum apud se et in bonis suis reservare non poterit; extunc ipso quinto decimo die, iterum Judex Nobilium illo vadat et colonum ipsum clara die, cum omnibus suis rebus mobilibus, illi Domino, aut Nobili, qui illum recipere voluerit, restituat et colonus restitutus iterum infra terminum aliorum quindecim dierum immediate sequentium, libere se cum rebus suis omnibus recipere et traducere valeat.

Seminatura coloni migrantis.

Articulus 23.

Seminaturas autem, si quas idem colonus in sessione illa sua, quam relicturus est, habeat; sub nomine ejusdem pacifice maneant:

§. 1. Quas, ubi opus fuerit, idem rusticus recludere et sepire, et praecustodire, ac dum maturescerent, deposito proventu terragii, Domino terrestri juxta loci consuetudinem, pro se recipere et levare possit.

§. 2. Et si quis colonorum, ac hominum illius Domini terrestris, aut etiam ipse Dominus terrestris, in seminaturis ipsis, sive in aliis quibuscunque rebus, quoquo modo damna illi intulerit; extunc talia damna, colonus ille, vel Dominus ejus terrestris, jure requirere valeat.

Colonum contra jus et aequum detinentis poena.

Articulus 24.

Ubi vero aliquis Dominorum, aut Nobilium, hujusmodi colonum, modo praemisso, repetitum et licentiatum, pacifice dimittere nollet et eundem violenter detineret;

§. 1. Extunc colonus ille, per Comites et Vice-Comites, ac Judices Nobilium, cum onere viginti quinque marcarum, per eosdem, super violentum detentorem talis coloni, irremissibiliter exigendarum, Domino, aut Nobili, qui colonum petiturus fuerit, restituere debeant et teneantur.

Ad expensas Regni communis contributio.

Articulus 25.

Praeterea, diversis negotiis Regni instantibus, certis vicibus Oratores ad Regiam Majestatem mittere et pro expensis eorum mutuum contrahere, vel sese obligare fuimus coacti.

§. 1. Accessit etiam, ut pro faciendo judicio, electi sint Assessores Sedis, quibus similiter de expensis providendum erat.

§. 2. Itaque impositae sunt pecuniae fumales *) decem denariorum, ut de omnium tam Dominorum, quam Nobilium bonis, ac etiam a Nobilibus unius sessionis, juxta numerum novissimae dicationis exigantur et ad manus Dominorum Vice-Banorum administrentur.

§. 3. Domini autem Vice-Bani, de eisdem pecuniis fumalibus, solvant Magnifico Domino Francisco Batthani ducentos et sedecim florenos, quibus eidem in sortem illarum expensarum suarum, quas anno praeterito in legatione nostra ad Regiam Majestatem missus, exponere fuit coactus; debitores extiteramus.

§. 4. Similiter Oratoribus, qui nuper ad Gerecz, **) ad Regiam Majestatem profecti erant, singulis eorum florenos decem.

§. 5. Assessoribus vero et Judicibus Nobilium, qui in judiciis manebunt; singulis eorum, pro singula hebdomada duos florenos solvant.

§. 6. Residuum autem pecuniarum conservent ad alias necessitates Regni.

§. 7. Et quod juxta commissionem et voluntatem Regiae Majestatis, ab Egregio Emerico Bradach, de universis Regni proventibus, cujuscunque generis fuerint, anno proxime elapso ad manus suas administratis, justa ratio recipiatur.

---

*) Sic dictae; quod pro numero focorum, seu caminorum exigerentur.

**) Graecium Styrorum.

§. 8. Ad quam recipiendam, electi sunt; Joannes Golecz de Zotezka et Stephanus Praschoczi: Ut ad diem et locum, per Spectabilem et Magnificum Dominum Thomam de Nadasd, Banum, praefigendum, accedere et ipsam rationem recipere debeant: Quo, et Regia Majestas hominem Suae Majestatis missura est.

Omnis generis moneta suo in valore maneat et recipiatur.

Articulus 26.

Moneta omnis generis, in suo valore currat et recipiatur.

§. 1. Cruciferi quoque septuaginta quinque, pro uno floreno; et grossi quatuor cruciferorum, similiter pro sedecim Viennensibus *) recipiantur.

VICTUALIA.

Hajdona	In Veröcze	den. 25.	Porcus medii anni			den. 50.
Hajdona	In Ujudvar	den. 32.	Suellus unus	intra Regnum: den. 4.	in confinibus:	den. 5.
Hajdona	In Velike	den. 32.	Anser unus	intra Regnum: den. 3.	in confinibus:	den. 4.
Czirok		den. 20.	Capo	intra Regnum: den. 3.	in confinibus:	den. 4.
Pinta vini, infra Quadragesim.		den. 2.	Gallina	intra Regnum: den. 2.	in confinibus:	den. 3.
Bos unus arabilis		flor. 12.	Pullus unus			den. 1.
Vacca mulgibilis		flor. 6.	Carnium bovinarum funta una			cruc. 1.
Porcus castratus saginatus		flor. 2.	Carnium porcinarum funta una			den. 2.
Porcus castratus non saginatus		flor. 1.	Capreolus unus			den. 6.
Porca una		flor. 1.	Capra una			den. 25.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS, DECRETUM VI. POSON. ANNI 1542.

Petrus Keglevyth proscriptus.

Articulus 43.

Quia palam est, Magnificum quondam Casparem Ernust de Chaktornya, nullis haeredibus post se relictis, annis superioribus ab hac luce discessisse, universaque castra, castella et bona, ac jura ipsius possessionaria, ad Sacram Regni Ungariae Coronam, consequenterque jam fatum Dominum nostrum Regem, absque omni dubio, de jure et de facto devoluta extitisse:

§. 1. Magnificus vero Petrus Keglevyth, asserens seipsum per eundem Casparem, constitutum esse testamentarium tutorem filiae suae, relictae ejusdem Casparis, consequenterque haeredis nascituri, (praetexabat enim Petrus ipse, filiam suam a marito praegnantem remansisse) castra ejusdem Casparis, Chaktornya et Strigo in Szaladiensi; Szent-György et castellum Kaproncza in Crisiensi Comitatibus existentia et habita, contra clarissima jura Fisci Regii, sub eodem praetextu, quo filiam gravidam esse fingebat, intercipiendo, donec tempus pariendi advenisset, in manifestam Regiae Majestatis injuriam tenere ausus est:

§. 2. Interim autem Sua Majestas, ne infans quispiam supposititius nomine haeredis ederetur, aliquod Nobilibus, honestisque et fidedignis matronis, ad

---

*) Id est; obulis.

custodiam partus legitime adhibitis, cum id falso praetextu fuisse excogitatum cognovisset; eadem castra et castellum, favorabiliter non semel repetere dignata fuit.

§. 3. Verumtamen dictus Petrus Keglevyth, nulla justi et honesti, nulla Clementiae et favoris ejus Majestatis habita ratione, ea nequaquam reddere voluit.

§. 4. Deinde memoratam suam filiam, Magnifico Ladislao Bánffi de Alsó-Lindva, nuptui tradendo, semel, atque iterum vocatus, sub salvo conductu, ante aliquot menses ad Regiam Majestatem Viennam venit.

§. 5. Ubi coram ejus Majestate in consilio, praesentibus ibi nonnullis Dominis Praelatis et Baronibus, Consiliariis Majestatis Suae, eorum omnium, quae in eodem consilio acta sunt, testibus locupletissimis (reliqua enim omnia, luce meridiana sunt clariora) idem Petrus Keglevyth, personaliter comparens, manumque suam pectori imponens; ad clementem, piamque et paternam Suae Regiae Majestatis admonitionem, licet castra et castellum praenominata, manibus hominis Suae Majestatis, quem ad id elegerat, pro debito probi servitoris et subditi, ad fidem suam Christianam reddere et restituere, sponte, libereque promiserit; Suaque Majestas, illa ad manus Venerabilis Domini Alberti Praepositi, Praefecti Camerae Suae Regiae danda et restituenda, in praesentia ipsius Petri Keglevyth commiserit:

§. 6. Idem tamen Petrus Keglevyth, juribus Sacrae Coronae et generali Constitutioni Novizoliensi, qua omnia castra, castella, ac alia bona et jura possessionaria per hos annos indebite occupata, illis, ad quos pertinent, sub nota perpetuae infidelitatis restitui commissa sunt, temere se opponere; promissionemque suam violare non formidans; praetacta castra Chaktornya, Strigo, Szent-György et castellum Kaproncza, cum cunctis eorundem pertinentiis, ac aliis bonis et juribus possessionariis, manibus praefati Domini Praepositi tradere et assignare minime voluit, sed ea pro se retinere et conservare privata authoritate, ausus est.

§. 7. Ne igitur alii quipiam exemplo ejus ducti, maxime pro temporis hujus periculosa conditione, similia patrare praesumant: Et alioquin, cum eundem Petrum Keglevyth annis superieribus, posteaquam Egregius Stephanus Deesházi sine haeredibus decessit, castrum Szomszédvára, castella item Szellyen et Sztubicza in Regno Sclavoniae habita, intercepisse; eaque ex ejus manibus praefatam Regiam Majestatem vix tandem eripuisse constat:

§. 8. Statutum est; quod, si idem Petrus Keglevyth, castra praescripta et castellum, intra spatium duorum mensium, a praesenti die numerando, in reformationem existimationis, opinionisque suae, apud bonos quosque viros modo praemisso gravatae, Majestati Suae reddiderit; subindeque Majestatem Regiam temere laesam reconciliaverit, et posthac omnia praemissa male acta sua diluenda curaverit; bene quidem:

§. 9. Alioqui, ipse Petrus Keglevyth, vigore praesentis Constitutionis nostrae, tanquam notorius infidelis Suae Majestatis et Regni, nota perpetuae infidelitatis et amissione capitis et omnium bonorum suorum, ex nunc prout extunc et extunc prout ex nunc, publice et manifeste de jure et de facto condemnatus sit et proscriptus.

§. 10. Universi item Nobiles, servitores ejusdem Petri Keglevyth, Regni hujus et Partium sibi subjectarum indigenae; statim expleto ipso termino duorum

mensium, eundem Petrum Keglevyth, sub poena praemissa notae perpetuae infidelitatis et confiscationis omnium bonorum suorum, relinquere debeant et teneantur.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM IX. ANNI 1546.

Castra, castella et fortalitia, defensioni minus necessaria, in Regno Sclavoniae et Croatiae diruantur: Quibus autem opus est; praesidio muniantur.

Articulus 42.

Quod Majestas Regia, castra, castella et fortalitia in Regno Sclavoniae et Croatiae, Turcis finitima, et quae, vel ex suis redditibus, vel eorum, quorum sunt, privatis opibus conservari non possunt; statim per Dominum Capitaneum suum, aut Banum illius Regni, vel per alios Commissarios suos, diligenter ubique inspici et considerari curet:

§. 1. Et ea, quae pro defensione Regni illius necessaria videbuntur; ad manus Suae Majestatis recipiat, vel aliter de illorum conservatione maturo consilio, quoad ejus fieri potest, provideat:

§. 2. Illa vero, quae minus necessaria visa fuerint; dirui et comburi faciat, ne in manus hostium deveniant.

Sclavoniae Regnum Rex diligenter tueatur: Et de salario Banorum, ac militum suorum, tempestive provideat.

Articulus 43.

Quod Majestas Regia defensioni Regni Sclavoniae mature prospiciat et inter caetera, tum Domino Bano solutionem subinde fieri curet; ut ipse cum suis gentibus praesto semper ad defensionem, quocunque opus fuerit, esse queat:

§. 1. Tum vero aliis quoque Dominis, ac Nobilibus Croatis, quibus in confiniis bona sunt, nec propter excursiones continuas Turcarum, quas sub praesentibus induciis crebriores quam antea faciunt; agros colere, vel sese aliter ex propriis redditibus sustentare possunt; de solutione aliqua provideat: Ut et hi, in defensionem illorum Regnorum praesto sint.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XI. ANNI 1548.

Ecclesiarum desertarum bona, ad Praedicatorum intertentionem et erectionem Scholarum, convertantur.

Articulus 12.

Praeterea, bona et proventus Monasteriorum et Claustrorum, ac Capitulorum desertorum (excepta Belavar in Regno Sclavoniae et ejus pertinentiis, quas Majestas Regia, durante beneplacito suo, Francisco Tahi, ad sustentationem ejus, ad tempus concessit) ad alendos doctos Parochos et Verbi DEI synceros Praedicatores: Qui populum in veteri Orthodoxa vera Catholicaque fide et Religione conservare, et si qui ab ea desciverunt in hoc Regno, ad eam reducere studeant: Nec non ad in-

staurationem et erectionem Scholarum particularium, earundemque Magistrorum, qui docti et probi sint, intertentionem: Et denique, ad bonae spei, ac indolis juvenum et adolescentum, ut bonis literis operam dare possint, promotionem et auxilium; applicentur et convertantur: Quo tali ratione, boni et docti viri alantur et nutriantur.

Coloni, Turcis vectigales, dimidium oblati subsidii solvant.

Articulus 24.

Sic autem offerunt subsidium praedictum; ut de colonis illis, qui sub ditione Regiae Majestatis existentes, Turcis quoque tributa et servitia praestant, duobus terminis praedictis, non plus, quam centum denarii Ungarici exigantur, propter ipsorum pauperum graves oppressiones.

§. 1. Domini autem et Nobiles, qui tam in Ungaria, quam Sclavonia et Croatia arces habent finitimas; per Regiam Majestatem (juxta ejusdem oblationem) quantum fieri potest, juventur in earum conservatione.

Colonorum servitus.

Articulus 34.

Item, communiter quilibet colonus possessionatus, singula hebdomada, singulum unum diem Domino suo terrestri servire teneatur: Salva tamen in iis antiqua consuetudine Regni Sclavoniae.

Libertates Statuum conserventur.

Articulus 56.

Quod libertates, exemptionesque Dominorum, ac Nobilium, nec non Liberarum Civitatum et Montanarum, sed et Montis Graecensis (Zagrabiensis), ubique conserventur: *)

§. 1. Hae scilicet exemptiones et libertates; in quarum usu fuerunt et existunt.

Arx Küszegh; et Brachium Regale super Chaszarvara.

Articulus 69.

Majestas Regia dignetur cum Domino Petro Erdödy, super jure, quod ipse habet in arce Küszegh (Ginsium) tractare; et quod justum fuerit, statuere:

§. 1. Brachium etiam Regale, quod super arce Chaszarvara (Cesargrad) ipse Dominus Erdödy jam dudum obtentum habet; confirmare et exequi facere.

---

*) Confirmantur An. 1723. a. 3.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XII. ANNI 1550.

Commissarii in Sclavoniam designati.

Articulus 44.

Ad Sclavoniam, ad primum diem Maji, in Zamobor, Domini Episcopi, Bosznensis et Tininiensis, Dominus Batthyani, Egregii Magister Michael de Raven, ac Andreas Chorom; loco autem Directoris causarum; penes eos Magister Lucas, Canonicus Zagrabiensis et Archi-Diaconus Csazmensis.

Comissarii in Sclavoniam mittendi, qui loca finitima perlustrent: Et ne Abbatia Toposka desoletur.

Articulus 71.

Supplicant praeterea Ordines et Status Regni; dignetur Majestas Regia suos Commissarios in Sclavoniam dimittere, qui arces et fortalitia ejus Regni revideant et quae diruenda esse videbuntur, diruantur; et quae conservanda, conserventur et muniantur, ac provideantur.

§. 1. Iidem etiam Commissarii, aedificia Civitatis Montis Graecensis et expensas per cives ad ea factas, diligenter revideant; et rationem ab eis de Tricesimis, annuente Majestate Sua ad id perceptis, accipiant.

§. 2. Querelas etiam omnes Praedialium, Abbatiae de Toposzka, contra Keglewyth audiant et differentias omnes inter eos definiant, modumque et ordinem statuant; ne Abbatia ipsa per eundem Keglewyth gravari, ac desolari possit.

Coloni ex Sclavonia ad loca sua redire permittantur.

Articulus 72.

Statutum est etiam; ut rustici illi, qui vel propter famem, vel metum Turcarum, ex Sclavonia in Ungariam per hos annos emigrarunt: *)

§. 1. Per eos, in quorum bonis sunt, si sponte redire voluerint, remittantur; nec retinere eos audeant, sub poena in Articulis migrationis colonorum expressa.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XIV. ANNI 1553.

Decretum reformetur: Per Status Regni recte examinetur: examinatum, Rex recognoscat; tunc approbet et confirmet.

Articulus 15.

Quod vero ad revisionem reformati Decreti attinet, in praesenti Conventu faciendam; cum majoris ea res momenti visa esse sit, quam ut minimo negotio, brevique temporis spatio et inter caeteras nunc curas absolvi queat:

---

*) Ab his potissimum orti sunt Croatae, per confinia Austriae et Styriae diffusi, quos Germani Bosner-Croaten, aut Wasser-Croaten vocitant: De quibus prolixe agitur, in citt. Rubr. ad h. art.

§. 1. Statutum est; ut ad festum S. Lucae proxime futurum, ex singulis Comitatibus, unus vel alter Nobilis, ad id unum duntaxat pertractandum, concludendumque: Similiter et ex Transylvania, Sclavoniaque, nec non ex singulis Capitulis, Civitatibusque potiores quinque, sumptibus eorum, Posonium deligantur, per quos ita delectos (praesentibus ibidem authoribus reformationis, nec non Judicibus Ordinariis, aut eorum Proto-Notariis et Vices-Gerentibus) revisio ista omnis, diligenter et accurate recognosci; et prout ex usu Regni et justitia fuerit esse visum, concludi; et Sacrae Regiae Majestati clementer acceptanda et revidenda proponi debeat; quam etiam Majestas Sua revideat et recognoscat.

Victualium limitatio.

Articulus 17.

§. 4. In Transylvania autem, Wayvoda; ac in Sclavonia, Banus, hanc limitationem, modo similiter praedicto, facere debent.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XV. ANNI 1554.

Civitates et Arces, impignoratae Polonis et Austriacis, ut redimi possint, curandum esse: Et quod limites Regni rectificentur.

Articulus 13.

§. 2. Nec non revisionem et rectificationem metarum, aliarumque differentiarum, inter Ungariam et Austriam, quae nondum sunt determinatae; ac inter Sclavoniam et Styriam, ac Carnioliam; nec non Ungariam et Moraviam; promulgationemque et executionem controversiarum jam determinatarum, Majestas Sua juxta gratiosam oblationem, nacta occasione ad effectum perduci curare dignetur.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XVI. ANNI 1555.

Libertates Regnicolarum, in Tricesimis et Tributis, sive Teloniis; serventur.

Articulus 9.

Constitutum est etiam; ut (quod in proximis Conventibus *) semper supplicatum fuit Suae Majestati) dignetur Dominorum, ac Nobilium, Civitatumque Liberarum, ac Montanarum et aliorum quorumvis Ordinum Regni, libertates, tam in Ungaria, quam Croatia et Sclavonia; in exactionibus Tricesimarum, ac quorumcunque tributorum juxta tenorem praeteritarum Constitutionum, per Officiales, tam Ungaros, quam externos, inviolabiliter observari facere.

§. 1. Quemadmodum Majestas Sua et antea semper ita fieri voluit; et nunc, pro justitia faciendum censet.

---

*) Nempe; Novizol. An. 1542. a. 48. Poson. An. 1548. a. 56. An. 1550. a. 66. An. 1554. a. 11.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XVII. ANNI 1556.

Tricesimarum loca vetustiora et libertates Regnicolarum serventur.

Articulus 37.

§. 1. Ut secundum Constitutiones proximorum Conventuum, exactio Tricesimarum ad loca priora (ubi scilicet secure per Turcas id fieri potest) ad primum diem Martii futurum transferantur; tam in Ungaria quam in Sclavonia.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XVIII. ANNI 1557.

Subsidium duorum florenorum; ad Regni necessitates, Regi censetur.

Articulus 3.

§. 9. Caeterum Valachi, Rutheni et Rasciani, quicunque sessionati coloni sunt et census praestant; domus eorum, quemadmodum reliquorum colonorum sessionatorum, connumerentur et dicentur.

Libertates omnium, in Tricesimis, Teloniis aliisve Tributis serventur.

Articulus 16.

Est etiam summe necessarium (prout Sua Majestas clementer se curaturam obtulit) ut tam ipsius Domini Strigoniensis et colonorum suorum; quam caeterorum omnium Dominorum, Praelatorum, Baronum, ac Nobilium, item Liberarum et Montanarum Civitatum et aliorum Ordinum, ac Statuum; tam in Ungaria, quam Sclavonia et Croatia; privilegia et immunitates, in Tricesimis, Tributis et Teloniis observentur.

Limitum Regni causae cognoscantur, diffiniantur et executioni demandentur.

Articulus 18.

Revisionem etiam causarum limitum Regni, cum Moravis circa Szakolcza et alia loca; et cum Styriensibus et Austriacis, in Comitatu Castriferrei et Soproniensi; nec non Sclavoniae et Croatiae, cum Carniolensibus, quae nondum revisae sunt: Executionem quoque earum, quae proximis annis fuerant revisae; Sacra Majestas Sua, ad supplicationem Statuum se propediem curaturam clementer obtulit: Cum id hactenus, propter gravissimas ejus Majestatis occupationes fieri commode nequiverit: Quandoquidem eadem de re, cum ipsis quoque caeteris Provincialibus suis tractare oporteat, in publicis similiter Conventibus.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XIX. ANNI 1559.

Subsidii exigendi modus praescribitur.

Articulus 12.

§. 7. Caeterum Valachi, Rutheni, ac Rasciani, quicunque sessionati coloni sunt, et census praestant Dominis eorum; quemadmodum reliqui coloni sessionati, connumerentur et dicentur *).

Metae et limites Regni, undiquaque per Commissarios Regis revideantur.

Articulus 48.

Et quum non parvae fidelibus Suae Majestatis, Ungaris, ac Sclavis et Croatis, intercedant differentiae, ratione metarum et limitum Regni, cum Moraviae versus Szakolczam; item Carinthia, Styria et etiam Polonia:

§. 1. Supplicatur Majestati Suae Caesareae, dignetur, certificato hac de re Serenissimo Rege Poloniae; ac praefixo Moravis quoque et Carinthiis, ac Styriis certo termino, deputare Commissarios:

§. 2. Qui revisis ejusmodi metis, atque limitibus, illos rectificent; quemadmodum se Majestas Sua in aliquot Diaetis gratiose facturam obtulit.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XX. ANNI 1563.

Judicia Regni Sclavoniae.

Articulus 26.

Judicia Regni Sclavoniae, inchoentur pro Dominica Invocavit **), anni proxime sequentis; erumque Appellationes fiant eo modo, quo ab antiquo fuit consuetum ***).

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM I. ANNI 1566.

Nova Connumeratio.

Articulus 5.

§. 2. Necesse tamen judicant Status et Ordines, (prout etiam decernunt) ut nova fiat hoc anno connumeratio: Excepta Sclavonia, quae proxime elapso Januario, primum noviter connumerata dicitur.

Judiciorum celebratio.

Articulus 21.

§. 3. Judicia quoque Regni Sclavoniae, celebrentur pro festo Epiphaniarum Domini proxime venturo, durentque ad Dominicam usque Carnisprivii.

---

*) Conformiter; ad An. 1557. a. 3. §. fin.

**) Quae est prima Quadragesimae.

***) Cursum posteriorem horum Judiciorum, disces praesertim ex An. 1723. a. 27. Et An. 1729. a. 31.

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM II. ANNI 1567.

Praediales Nobiles non dicentur. Eorum homagia et juramenta, aequiparantur aliorum Nobilium Regni.

Articulus 14.

Item statutum est, id quoque ex clementi annuentia Majestatis Suae; ut Praediales quarumcunque Ecclesiarum (qui in Ungaria et Sclavonia, iisdem fere semper praerogativis usi sunt, quibus alii possessionati Nobiles, et quorum homagia et juramenta aequaliter semper cum aliis Nobilibus fuerunt aestimata) non dicentur.

Gratuitus labor incipit, dierum duodecim.

Articulus 17.

§. 5. Ex Comitatu vero Szaladiensi excipiatur Insula, quae est inter fluvios Dravum et Muram, cum duabus extra Insulam villis Patha et Chatar, quae laborent ad castellum Domini Comitis de Zrinio, Legrad, quod ad Insulam defendendam illam, opportuno loco situm est.

Differentiae inter Nicolaum Jurissitth et vicinos Nobiles, in Oppido Köszegh cognoscantur.

Articulus 44.

Controvertuntur etiam, inter Dominum Nicolaum Jurissitth, Capitaneum in Köszegh *), et certos Nobiles Comitatus Soproniensis et Castriferrei, differentiae quaedam super certis metis et territoriis, ac ratione cujusdam terrae, Szekfölde appellatae; super qua etiam literae adjudicatoriae, tam ex Germanica, quam Ungarica Cancellaria extradatae, apud certos Nobiles extare dicuntur, adhuc tamen inexecutae.

§. 1. Dignetur Majestas Caesarea et Regia mandare; ut literae illae adjudicatoriae executioni demandentur et differentiae omnes inter dictos Comitatus et Nicolaum Jurissitth, medio aliquorum Commissariorum, ad certum terminum per Majestatem Suam praefigendum, revideantur et complanentur **).

§. 2. Non dissimiliter etiam dignetur Majestas Sua, ad certum terminum Commissarios constituere (communicato negotio, cum Serenissimo Principe Domino Carolo Archi-Duce Austriae, Fratre Majestatis Suae charissimo, Domino eorum gratiosissimo) et limites, ac metas inter Sclavoniam et Styriam, vel Carnioliam revideri facere et imperare; ut quaelibet pars suis finibus sit contenta.

---

*) Nicolaus Jurišić nobilis Croata Segniensis, immortalis defensor ejusdem oppidi, nunc civitatis Kőszeg seu Ginsiensis.

**) Vide, Rubric. Jur. Ung. ad h. art.

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM III. ANNI 1569.

Gratuitorum laborum distributio.

Articulus 19.

§. 18. Comitatus Castriferrei labores, aut totaliter, aut pro media parte ad Kanisam, vel oppidum Pápa applicentur, uti Majestati Suae Caesareae et Regiae visum fuerit: Exceptis tamen omnibus et singulis bonis Domini de Zrinio, in his jam dictis tribus Comitatibus, in et extra insulam Muraköz existentibus; quorum subditorum labores ad praeparationem castelli Legrad reservati et deputati sunt *).

Quae Transmissiones, sive Appellationes, e Sedibus Comitatuum, ac Vicariorum transmissae; in quibus terminis revideantur?

Articulus 40.

§. 1. In Sclavonia vero, utroque judiciorum termino, illas revideri decretum est, terminique judiciorum constituti sunt; festum Epiphaniarum et festum Sancti Jacobi.

Confiniorum Regni, Metarum revisio et rectificatio, per Commissarios fieri petita.

Articulus 42.

De revisione, rectificationeque metarum Ungariae, ac Sclavoniae, cum Austria, Styria et Moravia, ac Polonia, in omnibus fere Conventibus cum defunctae, tum vero modernae Sacrae Majestati Caesareae supplicatum fuit; illae tamen in nullum hucusquae opus et executionem sunt deductae:

§. 6. (Commissarios autem nominant) Versus Styriam denique et Carnioliam, Honorabilem, ac Egregios, Joannem Dombrensem, Cantorem et Canonicum Ecclesiae Zagrabiensis, Joannem Forchicz de Buthinavesz, Vice-Banum, ac Magistrum Emericum Petthö de Hethes, Proto-Notarium Regni Sclavoniae et Stephanum Kapitanffi.

Inquisitiones veteres, contra Joannem Krusith et Stephanum Dersffi revideantur.

Articulus 55.

Veteres inquisitiones contra Joannem Krusith et quondam Stephanum Dersffi, ac milites sub eis existentes, peractas, per novos Commissarios a Sua Majestate deputandos, revidendas et executioni demandandas, statutum est:

§. 1. Cui rei, praefixus est terminus; festum Sancti Nicolai proxime venturum.

§. 2. Ad recentes autem contra Krusith querimonias quod attinet; de illis, deputatis novis Commissariis, novam inquisitionem esse faciendam, decretum est.

---

*) Confer., An. 1600. a. 21. Et An. 1613. a. 8.

Querela contra Stephanum Gerdak.

Articulus 56.

Item, quum publica totius Comitatus Sopronlensis querela sit facta contra Stephanum Gerdak et Christophorum Alya, de gravissimis violentiis eorum, circa occupationem bonorum, orphanorum quondam Bernardi Gróff (de Frangepan) et Castelli eorundem, iniquam cum nece multorum defensionem facientes:

§. 1. Statutum est: hanc causam in primo Judiciorum Octavalium termino, extra seriem cognosci et revidere debere.

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM IV. ANNI 1572.

Nova portarum fiat connumeratio.

Articulus 5.

Novam etiam portarum connumerationem, tam in Ungaria, quam Sclavonia, Status et Ordines Regni admittendam, unanimiter censent; juxta priores Articulos Anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni *).

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM V. ANNI 1572.

Judicia Regni Sclavoniae.

Articulus 7.

In Sclavonia vero, judicia publica bis in anno, in Civitate Zagrabiensi montis Graecensis celebrentur, hoc est; primo, pro festo Epiphaniae Domini, et secundo pro festo Beati Jacobi Apostoli.

§. 1. Et singuli judiciorum termini, durent singulis diebus quadraginta, exceptis festis: Quibus intersit Dominus Episcopus Quinque-Ecclesiensis **).

§. 2. Transmissiones autem ex Sclavonia deductae; revideantur hic Posonii, more antiquitus observato ***).

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM VI. ANNI 1574.

Vice-Banus, Proto-Notarius, Vice-Comites et Judices Nobilium in Regno Sclavoniae, suis salariis contenti; dicam e bonis suis solvere procurent.

Articulus 2.

Quoniam autem in Regno Sclavoniae, Vice-Banus, Vice-Proto-Notarius et Vice-Comites, Judices Nobilium et eorum Vices Gerentes, dicam Regiam, ex quadam consuetudine in bonis ipsorum detinuisse dicuntur:

§. 1. Deliberatum est; ut si Majestas Sua praedictis Vice-Bano, Vice-Proto-Notario, Vice-Comitibus, Judicibus Nobilium et eorum Vices-Gerentibus

*) Nempe art. 7. An. 1569.

**) Scilicet Joannes Monoszlói, seu de Monte Claudii.

***) Adde, An. 1659. a. 87. et 88.

sua salaria dari jusserit (quae illi hactenus reddita fuisse negant) eo sint contenti; et dicam Regiam e bonis suis administrent.

§. 2. Si vero salarium eis non reddetur; extunc dica bonorum suorum eis cedat: cum illa vix centum florenos in toto facere dicatur.

Judicia in Eperies et Posonii Civitatibus celebrentur.

Articulus 16.

§. 4. In Sclavonia, similiter bis in anno, in Civitate Montis Graecensis judicia celebrentur, semel in festo Epiphaniae Domini et secundario in festo Beati Jacobi Apostoli.

§. 5. Et singulorum judiciorum termini, tam in Ungaria, quam Sclavonia, durent diebus quadraginta, exceptis festis.

Locumtenens, adinstar aliorum Judicum Ordinariorum, per suum Proto-Notarium, omnes causas deinceps adjudicet: Praeter causas inter Regem et Regnicolas, ac defectus seminis et Regni Sclavoniae transmissionis.

Articulus 18.

§. 1. Deinceps omnes causas, etiam ratione haereditatis quorumlibet bonorum et jurium possessionariorum, instar aliorum Judicum Ordinariorum (demptis causis inter Regem et Regnicolas motis, quae judicio Palatinali subjectae sunt: Item causis defectus seminis et Transmissionibus, ex Regnis Sclavoniae et Croatiae, quas Dominus Judex Curiae, etiam in termino octavarum Locumtenentiae, ex Decreto Regni adjudicare debet) tempore generalium judiciorum, quorumlibet terminorum, in Sede Judiciaria Majestatis Suae adjudicare possit.

Tricesima, a rebus et allodiatura Nobilium et Dominorum nulla exigatur.

Articulus 25.

Ut Tricesimatorum insolentia ubique, tam in Ungaria, quam Sclavonia compescatur, Majestas Sua Caesarea dignetur clementer efficere; ut contra antiquam et peculiarem Nobilitatis libertatem et praerogativam etiam de iis, quae ad usum domesticum emuntur, violenter Tricesimam exigunt.

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM VII. ANNI 1575.

Kaproncza Arcis munitio.

Articulus 15.

De munitione Arcis Kaproncza, nuncii Regni Sclavoniae referunt, se ad Generalem Statuum illius Regni Congregationem: In qua, cum Commissarii Majestatis quoque Caesareae affuturi sint; cum eis tractabunt et quod pro rei et virium suarum qualitate fieri poterit, obedienter praestabunt.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM I. ANNI 1578.

Carolus et Ernestus Archi-Duces, in rebus bellicis, pro Vices-Gerentibus Majestatis Suae acceptantur et recognoscuntur.

Articulus 15.

Quod vero Majestas Sua Caesarea et Regia, Statibus et Ordinibus Regni significat, Majestatem Suam Caesaream, Serenissimis Principibus, Carolo et Ernesto Archi-Ducibus Austriae, huic quidem Ungariae, illi vero Croatiae et Sclavoniae, confiniorum curam et administrationem concredidisse: Ideoque eosdem hortari, ut in his, quae ad rem bellicam et confiniorum defensionem pertinent; ad ipsos Dominos Archi-Duces respiciant et eis obedientiam praestent; in caeteris vero, quae ad justitiam spectant, ad Majestatem Suam Caesaream recurrant:

§. 1. Status et Ordines, eosdem Serenissimos Principes, illum in Sclavonia, hunc in Ungaria, tam praesente, quam absente Majestate Sua Caesarea, in rebus bellicis, pro Generalibus Majestatis Suae Caesareae Vices-Gerentibus acceptant.

§. 2. Supplicantes, ut in rebus Ungaricis, etiamsi illae bellicae sint; adhibeant (pro qualitate negotiorum) in consilium Ungaros quoque.

§. 3. Serenissimus vero Archi-Dux Carolus, eam cum Domino Bano Croatiae et Sclavoniae intelligentiam habeat; ne quid sequatur inconveniens et libertati Regni contrarium. *)

Cis Kolapim dica quomodo exigatur.

Articulus 25.

Quod ad accolas citerioris ripae fluvii Kolapis (quos pro Turcarum depopulatione, nuncii Regni Sclavoniae a dica eximendos petunt) attinet:

§. 1. Statutum est; ut Vice-Banus cum Dicatore et Nobile illo, qui Dicatori adjungetur, ad loca illa proficisci debeat et juxta ipsius conscientiam, villas, quae connumerandae et dicandae visae fuerint, connumeret: Quae vero hostili periculo proximiores et ideo exemptionem ejusmodi merito habere visae fuerint; intactas relinquat.

§. 2. Sed tamen utrumque Majestati Suae Caesareae significare debeat, quae postmodum eorum, qui digni videbuntur, benignam rationem habitura est.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM II. ANNI 1582.

Limites Regni Sclavoniae revideantur; et Status, ac Ordines ejus Regni, sibi Commissarios nominare possint.

Articulus 7.

Quoniam autem Regnum quoque Sclavoniae conqueritur de suis limitibus:

§. 1. Statutum est; ut illi quoque Regnicolae, in primo ipsorum Conventu de idoneis Commissariis, qui differentias eorum metales cognoscant, sibi prospicere et nominare possint.

*) Vide Rubric. Jur. Ung. ad h. art.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM IV. ANNI 1587.

Ut in Sclavonia termini Octavales serventur.

Articulus 32.

In Sclavonia quoque serventur termini Octavales, fiantque in eis judicia.

Ut et Sclavonia suam Commissionem effectuet.

Articulus 34.

Item, Sclavonia quoque ad effectum perducat suam Commissionem; de qua superiori Anno Octuagesimo secundo conclusum fuit.

In Sclavonia onera aequaliter ferenda, in intertentione Haramiarum.

Articulus 36.

Item statutum est; ut in Regno Sclavoniae, quod ad intertentionem Haramiarum *) attinet; omnes illi Status et Ordines, aequalia onera ferant.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM V. ANNI 1593.

Denominantur Perceptores et Erogatores Contributionis.

Articulus 8.

§. 1. In Partibus superioribus Regni: Magnificum Dominum Sigismundum Rákóczy: In his autem Comitatibus Cis- et Ultra-Danubianis usque ad Sclavoniam, Magnificum Dominum Stephanum Illésházy: In Sclavonia vero, Magnificum Dominum Nicolaum Istvánffi.

Pro Sclavonia deputantur ejusdem Regni subsidia, cum decem millibus florenorum ex Ungaria.

Articulus 9.

Pro Sclavonia ordinantur subsidia ejusdem Regni propria:

§. 1. Item ex contributione Regni Ungariae, Domini Deputati, nempe Dominus Illésházy et Dominus Rákóczy, pro auxilio dabunt ad manus Domini Deputati ejusdem Regni Sclavoniae decem millia florenorum, qui eos ad defensionem ejusdem Regni erogabit et convertet.

Supplicant ultroneè, pro authoritate Domini Bani.

Articulus 20.

Supplicant quoque Status et Ordines; ut Domino etiam Bano numerum militum augere et stipendia emerita persolvere, eique suam authoritatem et in earum partium Capitaneos potestatem dare dignetur.

*) Qui dicuntur Haramiae, invenies in Rubric, Jur. Ung. ad h. art.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM VI. ANNI 1595.

De defensione Sclavoniae: Et poena Contrariantium Constitutionibus.

Articulus 16.

Sclavonia in sui defensionem pro possibilitate feret auxilium:

§. 1. Et quia ibidem nonnulli Magnates et Nobiles ea, quae in medio ipsorum ratione ejusmodi contributionem et negotiorum statuuntur; renuere, seque eisdem Constitutionibus opponere consueverunt:

§. 2. Ne itaque hujusmodi Legum et Constitutionum publicarum contemptores impuniti remaneant: Statutum est; ut quotiescunque et quandocunque ii, qui poenam contra tales in ipso Regno statutam executuri sunt, ad exequendam insufficientes fuerint; extunc eis Comites auxilio sint: Iis autem etiam insufficientibus; Banus, suo Banali brachio praesto sit, ac duplum extorqueat: Ex quo id, quod Regno debetur, eidem Regno administrent, reliquum autem pro se reservent.

§. 3. Haec autem Constitutio de praeteritis etiam poenis exigendis intelligatur.

Examinatores Dominorum Deputatorum nominantur.

Articulus 44.

§. 1. Regni autem Sclavoniae; Reverendissimus Dominus Episcopus Tininiensis et Magister Caspar Petrichewich, Vice-Proto-Notarius Regni.

Confiniis et militibus in Ungaria et Sclavonia provideatur.

Articulus 54.

Dignetur etiam tam in Ungaria, quam in Sclavonia confiniis providere; et veteranis militibus de solutione satisfacere:

§. 1. Certum enim est; frustra has Constitutiones fieri, nisi confiniis et militibus sufficienter prospiciatur.

§. 2. Capitaneis praeterea et militibus ac possessoribus locorum finitimorum ad eorum supplicationes et protestationes; dignetur se resolvere, antequam hinc discedatur.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM VII. ANNI 1596.

Subsidium Sclavonicum in usum ejus Regni convertatur.

Articulus 9.

Subsidium Sclavonicum in usum ejus Regni convertetur: Solveturque ibi dimidium more antiquo: Sicuti et coloni Turcis subjecti. *)

---

*) Adde, An. 1618. art. 36. An. 1647. art. 34. Et An. 1659. art. 86.

De poena eorum, qui spe majoris lucri et stipendii ad exterorum Dominorum et Provinciarum servitia sese conferunt.

Articulus 22.

§. 1. Ne nimirum hoc anno ullus ex Ungaris, vel Croatis et Sclavis, ad exterorum Dominorum et Provinciarum, (excepto Summo Pontifice, qui eodem stipendio, ut supra dictum est, militem Ungarum conscribere poterit) stipendia, vel servitia se conferat et in numerum Cataphractorum, vel Archibuserorum et Kozakorum se conscribendum curet.

Supplicant Status Regni Majestati Caesareae, ne Dominum Comitem Georgium de Zrinio, in exercenda in bonis suis Dalmaticis eorumque portubus mercatura, molestari permittat, sed locum depositionis illi benigne conservet.

Articulus 32.

Dominus Comes de Zrinio conquestus est, se habere in Dalmatia circa littora maris Adriatici certas Arces, ut Grobnyk, Bakar et Hrelin *), quibus ipse et Pater, ac Majores ejus cum omnibus vectigalibus aliisque pertinentiis libere usi sunt:

§. 1. Sed non ita pridem, Officiales et Tricesimatores Serenissimi Archi-Ducis Ferdinandi, in terra Fluminis constituti, ipsum molestare inceperunt, non permittendo Mercatoribus Venetis et aliis Italis eo merces advehere et eas aut permutare, aut vendere, solutis iis, quae debent solvi: Cogentes eos, illinc ad terram Fluminis Sancti Viti accedere.

§. 2. Imo, si quos deprehendunt in portubus dicti Domini Comitis mercaturam exercere, eos variis modis damnificant.

§. 3. Quas ob violentias, licet Serenissimum Archi-Ducem Ferdinandum se requisivisse dicit; nullum tamen remedium adhibitum.

§. 4. Quapropter Status et Ordines Majestati Suae Caesareae, ac Serenissimo Archi-Duci supplicant; dignetur antiquum usum exercendae in suis portubus mercaturae, nec non locum depositionis dicto Domino Comiti conservare; ac Serenissimo Archi-Duci scribere; ne hanc violentiam (quae etiam limitibus, ac foederibus Regni, ac locis depositionum praejudicat) a suis hominibus fieri permittat: Ac committat Dominis Banis; ut ipsum Dominum Comitem in suis justis juribus defendant.

Colonis Sclavonicis liber in Patriam suam reditus; ac colonorum libera ubique migratio juxta antiquas Constitutiones concessa.

Articulus 36.

Statuunt etiam Regnicolae; quod coloni illi, qui e Sclavonia hisce proximis annis metu Turcarum aufugerunt; jam pacatiori Regni illius statu per illos Do-

*) De novioribus finibus Dalmatiae, in qua hae Arces esse dicuntur; Vide P. Samuelis Timon, Imaginem Ungariae Novae, pag. 207. et seqq. Ferunt Comites de Zrinio, quinquaginta Arces et Dominia, per Illyrici Regna possedisse.

minos Magnates, ad quorum bona sese receperant, libere domum reverti permittantur; juxta Constitutiones Anni Millesimi Quingentesimi Quinquagesimi sexti.

§. 1. Similiter et migratio colonorum sit ubique libera; prout et antea fuit: Et serventur hac in re antiquae Constitutiones superinde editae.

Arcis quoque Petriniae custodiae et defensioni, majori militum copia succurrendum.

Articulus 45.

Arcis quoque Petriniae custodiae et defensioni, ac tam equitum, quam peditum majori numero in eam collocandorum et solvendorum, curam Sua Caesarea Majestas diligentem habere dignetur.

§. 1. Nam ex eo loco conservando, pars magna permansionis Sclavoniae et vicinarum Provinciarum pendet: Et si (quod DEUS avertat) hostes eam recuperarent, actum de illis foret.

§. 2. Qua de re cum Status Sclavoniae Serenissimo Archi-Duci Ferdinando supplicassent; ad Suam Majestatem Caesaream fuerunt rejecti: Quae ejus rei, dignetur clementer memor esse *).

Damna per exterorum Capitaneorum milites miserae plebi illata; quomodo cognosci et refundi debeant?

Articulus 46.

De damnis per milites sub Capitaneatu Dominorum Hannibalis a Rottenau, Skriniczky, Krok et Eggenbergh in Sclavonia existentium et aliorum Capitaneorum exterorum, miserae plebi et aliis illatis, ubi sua Serenitas syngraphas eorum produci debere censet, ut sic de solutione, quoad fieri potest, provideatur; sciat sua Serenitas nullas datas esse syngraphas: Sed passim in Comitatibus ubique inquisitiones sunt factae Anno praeterito.

§. 1. Supplicant itaque Status Suae Majestati, dignetur damna ipsa ex inquisitione peracta cognoscere: Et vel colonis damnificatis, restitui, vel defalcatis damnis ex eorum stipendio; hujusmodi stipendia ad aedificationem confiniorum, aut alias Suae Majestatis necessitates converti facere.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM VIII. ANNI 1597.

Sclavoniae Regnum loco equitum pedites conducat et interteneat.

Articulus 8.

Quantum attinet ad Regnum Sclavoniae; quia Confinia Colapina pro custodia vadorum magis peditibus indigent quam equitibus; ideo Sclavonia loco equitum pedites intertenere et conducere debebit.

---

*) Huc pertinet, An. 1597. art. 16.

Restantiae pecuniarum quonam dandae? Quove converti et quando de illis ratio reddi debeat?

Articulus 12.

Restantiae autem (si quae fuerint inventae) si fuerint dicarum, laborumque gratuitorum et taxarum Liberarum Civitatum; dentur ad Cameram:

§. 1. Ita tamen; ne illae, nisi ad confiniorum reparationes convertantur:

§. 2. Si autem fuerint alterius sortis; tunc apud manus exactoris maneant: Ac illae etiam cum praescitu Suae Majestatis ad ipsas reparationes locorum finitimorum convertantur:

§. 3. Super quibus in proximis Regni Comitiis tam Camera quam exactores, sufficientem rationem reddant.

§. 4. Idem fiat in Sclavonia coram Deputatis ejusdem Regni.

Sclavonia Petriniam et alia Castella pro posse aedificare curabit.

Articulus 15.

Sclavonia vero Petriniam et alia Castella, prout incepit; pro sua possibilitate, aedificare diligenter procurabit.

Sub cujus protectione Petrinia esse debeat decernendum.

Articulus 16.

Supplicant autem Status Sclavoniae; ut Sua Majestas cum Serenissimo Archi-Duce Ferdinando statuere dignetur; sub cujus protectione idem confinium Petrinia esse debeat? ne alioquin in hostium manus iterum deveniat. *)

Civitates Sclavoniae Liberae taxas suas ad conducendos apud Kolapim milites convertant.

Articulus 19.

Liberae vero Civitates in Sclavonia taxas earum, ad conductionem militum apud Kolapim existentium, convertant.

De modo et ordine convectionis victualium in castra: De pretio vecturae et aliis: Et quinam ex Ungaris Praefecti Annonae in diversis Regni Partibus constituti?

Articulus 25.

Convectio victualium in castra admodum necessaria est: Nam milites sine victu, officio suo satisfacere non possunt:

---

*) Adde, An. 1596. art. 45.

§. 1. Ut vero inconvenientiae illae, quae superioribus Annis circa rem Annonariam contigerunt, praecaveantur et defectibus futuris succurratur:

§. 2. Statutum est; ut de singulis viginti quinque Portis dicari solitis, singuli currus seu plaustra bona et labori ac vecturae apta, administrentur ex singulis Comitatibus, quibus juncti sint quaterni equi, aut sex boves: Pro diurna vero mercede, Dominus Generalis Magister Annonae, in exercitu constitutus, dabit in singulos dies singulum unum Tallerum pro vectura, computando ab eo die, quo quisque currus victualibus oneratus fuerit; etiam numerando dies illos, quibus ad requisitionem Magistri victualium in castris detentus fuerit.

§. 11. Idem fiat in Sclavonia, si necessitas postulaverit.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM IX. ANNI 1598.

De Regni Sclavoniae auxiliis: Deque reditu colonorum ad campum Turopoliensem et alia loca: Ac de poena eos detinentis.

Articulus 33.

Sclavonia in sui defensionem pro sua possibilitate per domos feret auxilia pro sua veteri consuetudine:

§. 1. Et ibi quoque, tam de Hajdonibus, quam de exercituandi modo; supra constituti Articuli serventur.

§. 2. Coloni praeterea e campo Turopoliensi; nec non ripa Savi, Colapis et aliis Partibus propter Turcarum metum his disturbiorum temporibus profugientes; libere redire possint, si voluerint.

§. 3. Si quis autem Dominorum, aut Nobilium, aut etiam Civium, eis viam redeundi praecluderet; tales coloni modo et ordine fugitivorum colonorum in Articulis Anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti expresso, *) repeti possint:

§. 4. Non dimittens; eandem poenam incurrat, quam fugitivum colonum detinens.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM X. ANNI 1599.

Subsidium duorum florenorum Ungaricorum de singulis domibus pro conductione decem millium armatorum hominum, in duobus terminis exigendum; oblatum.

Articulus 6.

Quantum ad subsidium praesentis Anni, pro continuatione belli contra hostem suscepti, attinet:

§. 6. In Sclavonia, ducentos equites et sexingentos pedites.

---

*) Signantur art. 28. et seqq.

A solutione subsidii et taxarum nemo plane sit exemptus.

Articulus 15.

Quod ad solutionem autem memorati subsidii ac taxarum attinet; nemo, nec Camerarius, ac Tricesimator, nec Vice-Banus, nec Vice-Proto-Notarius, Vice-Comes, Notarius, aut Judex Nobilium, vel quispiam alius sit exemptus.

De reparatione viarum; et de poena eam negligentium.

Articulus 30.

Ut viae ubique quamprimum reparentur, necessarium est. *)

§. 1. Curent ergo Vice-Comites, ut sine mora ab omnibus reparentur, tam in Ungaria, quam in Sclavonia.

De poena, in certos Nobiles bigamos ac incestuosos et publicos malefactores; publice statuta.

Articulus 36.

Item, quia inter caetera peccata et enormia facinora, quae in hoc Regno Ungariae, ac in Sclavonia vigent, illud etiam non postremum est; quod sunt nonnulli, qui divini praecepti, ac honestatis immemores, vel plures, quam unam, uxores ducunt, vel autem, ut libidini suae indulgeant et serviant; relicta, aut interempta prima, alteram superinducunt; ac interdum proximo sanguine junctas, in matrimonium sibi accipiunt, ut sunt, Emericus Majthény, **) Emericus Báty, Tutor Delij, Joannes Hollossius, Petrus Pellérdi et similes, similiter etiam uxores eorum:

§. 1. Deinde, alii quoque publici malefactores plurimi sunt, qui vel ipsas vias observantes, vel autem domos invadentes, latrocinia, atque homicidia exerceant:

§. 2. Ideo statutum est; ut Constitutiones Anni Quadragesimi octavi, ***) de hujusmodi publicis malefactoribus statutae observentur:

§. 3. Ac, si Domini terrestres per Supremos Comites et Vice-Comites requisiti, eos debito modo punire noluerint; tunc tam in bonis Suae Majestatis, quam etiam quorumcunque Dominorum Praelatorum, Baronumque et Nobilium, (etiamsi Nobiles fuerint) per eosdem Supremos Comites et Vice-Comites capi et judicari atque puniri possint.

§. 4. Personae autem supra denominatae, statim in jus citentur; ac jure primum convictae et aggravatae, tandem capiantur et puniantur. †)

---

*) Prout statutum erat, An. 1598. art. 30.

**) Absolutus est, An. 1618. art. 74.

***) Scilicet, An. 1548. art. 48. et seqq.

†) Confer., An. 1625. art. 13.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XI. ANNI 1600.

De Vice-Comitum circa exactionem subsidiorum officio; Deque negligentiae eorum poena.

Articulus 6.

§. 3. In Regno autem Sclavoniae, Dominus Banus exequatur. *)

Quantum Turcis subjecti et Sclavonia solvere; et quo illius subsidium converti debeat?

Articulus 7.

Turcis subjecti et Sclavonia, dimidium solvant:

§. 1. Sclavoniae vero subsidium, eidem Regno pro defensione Colapis relinquatur:

§. 2. Ubi Perceptor sit, Stephanus Beriszlavith; qui de perceptis et expensis, Camerae Posoniensi liquidas rationes exhibere teneatur.

De conservando Regno Sclavoniae in suis libertatibus; et authoritate Banali.

Articulus 27.

Regnum Sclavoniae, Sua Majestas Caesarea in suis libertatibus; et authoritatem Banalem, in expeditionibus conservare dignetur. **)

Ut milites externi, in Ungaria et Sclavonia non conducantur, lustrentur et ablicentientur.

Articulus 28.

Dignetur quoque Sua Majestas facere; ne externi milites in hoc Ungariae Regno conducantur, vel etiam ablicentientur; sicut se sua Serenitas, istud apud Suam Majestatem et per se etiam effecturam, clementer obtulit.

§. 1. Idem fiat etiam in Regno Sclavoniae.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XII. ANNI 1601.

Quantum Sclavonia, Turcisque subjecti solvere; et quo illorum et quatuor Comitatuum ante Transylvaniam sitorum, subsidium converti; quive praeterea in Sclavonia, in medium Regnicolarum contribuere debeant?

Articulus 3.

Sclavonia et Turcis subjecti; contribuent pro media parte, ut Anno superiori.

*) Renovatur praesens Articulus; An. 1601. art. 6.

**) Confirmatur; An. 1649. art. 33. Et An. 1741. art. 47. et seqq.

§. 1. In Sclavonia autem et Comitatibus Bihariensi, Zólnok mediocri, Kraszna et Maramarosiensi, sicut praeteritis Annis, Dica in earum Partium defensionem convertatur: Dicatoribus per Cameram constitutis.

§. 2. Arcis vero Kaproncza pertinentiae; nec non omnes Nobiles, ac coloni et inquilini, qui post recuperatas ab hostibus Turcis Arces Petrinia et Sciscio, inter flumina Savi et Colapis resederunt et sedes suas fixerunt; instar aliorum Nobilium et colonorum, sine ulla difficultate et exceptione, contribuant in Sclavonia in medium Regnicolarum; juxta priorem illius Regni et consuetam Portarum connumerationem.

Quomodo Sclavoniae insurgendum sit?

Articulus 12.

Sclavonia insurgat in sui defensionem; more ejus Regni consueto. *)

De non conscribendis, lustrandis et dimittendis in Ungaria et Sclavonia externis militibus: Sic etiam de condescensione et violentia militum, aliisque gravaminibus; proximorum Annorum Articulos observandos Regnicolae censent.

Articulus 26.

Porro, fideles Status et Ordines, nil magis inter caetera huic Regno salutarius fore existimant, quam si Articulus vigesimus octavus, Diaetae novissimae; de externis militibus, in hisce Regni reliquiis et in Sclavonia non conscribendis, lustrandis et dimittendis, juxta suae Serenitatis benignam Anno superiori factam oblationem et subsequutam superinde Suae Majestatis confirmationem; inviolabiliter observetur. Sic etiam Articuli de condescensione, vi, rapina et praedonio militum; et villas Dominorum, ac Nobilium militibus distribuentium, licentia, toties sanciti.

De confiniis Sclavonicis in Sclavonia agendum: Serenissimumque Archi-Ducem Ferdinandum ex suis Provinciis, dictis confiniis, sic et Petriniae prospicere debere; Status demisse censent.

Articulus 31.

Articuli de statu Confiniorum Sclavonicorum propositi debebunt in Sclavonia proponi:

§. 1. Quia autem ex Ungaria subveniri illis non possit, Sclavonia quoque sit jam pene exhausta: Supplicant Status et Ordines, dignetur Sua Majestas, aut sua Serenitas, Serenissimum Archi-Ducem Ferdinandum requirere, ut sua Serenitas dictis confiniis ex suis Provinciis prospicere, et ne Petriniam etiam negligi permittere, dignetur.

---

*) Confirmatur; An. 1659. art. 85. An. 1681. art. 66. Demum; An. 1741. art. 59.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XIII. ANNI 1602.

Praefatio: In qua Status et Ordines Regni, ob spem levandarum miseriarum eis factam; pro Campestri exercitu hujus Anni, duo millia equitum levis armaturae et totidem peditum millia humiliter offerunt.

Articulus 1.

§. 1. Nihilominus, quia per Suam Majestatem Caesaream, Dominum ipsorum Clementissimum, non minima spes ei datur, tollendarum ejusdem miseriarum, atque aerumnarum; ne sibi in praesentibus suis necessitatibus penitus deesse videantur; offerunt Status et Ordines in subsidium continuationis belli, praesentis Anni, ad sex menses, extra subsidium Sclavoniae et Liberarum Civitatum taxam; duo millia equitum levis armaturae et totidem peditum millia, pro Campestri exercitu.

Quantum Turcis subjecti coloni: Sic etiam Sclavoniae Regnum solvere: Quove subsidium illud converti debeat? Et de ratione illius reddenda.

Articulus 7.

De colonis Turcis subjectis, idem constituitur, quod praecedentibus Annis est de illis sancitum; ut nimirum dimidietatem subsidii solvant:

§. 1. Sclavonia quoque solvet juxta eorum consuetudinem, dimidietatem subsidii:

§. 2. Et convertent eam ad proprios ejus Regni usus ac necessitates:

§. 3. Et reddent rationem. *)

De celebrandis in Sclavonia Octavis.

Articulus 22.

Mandare quoque dignetur Sua Majestas Caesarea atque Regia; ut in Sclavonia circa Epiphaniarum Domini, aut alio tempore, quo commode fieri poterit, Octavae celebrentur: Quae si tamdiu durare non poterunt, quam diu antea; durent prout visum fuerit.

§. 1. Videtur autem hoc loci Majestati Suae Caesareae ac Regiae clementer; ut propter varias, quae in dies emergere solent, potentiorum violentias et injurias, non solum Sclavoniae, sed Inclyti quoque Regni sui Ungariae, quoad Judiciorum Octavalium celebrationem, debita ratio habeatur; illaque omnino, post tot exactos jam annos, in usum revocentur ac celebrentur.

§. 2. Atque si propter bellicas occupationes, binaria vice, uti antea solitum fuit, celebrari nequirent; statuit tamen Majestas Sua Caesarea benigne, atque Regiae suae potestatis plenitudine decernit, ac omnino clementer vult; ut dicta Judicia Octavalia, in Ungaria hoc anno, si propter imminens bellum ad

*) Renovatur; An. 1603. art. 6. An. 1604. art. 2.

festum Sancti Lucae Evangelistae, more alias consueto, fieri non posset; a festo tamen Divi Martini Episcopi et Confessoris, proxime affuturo, inchoando (sicut et in Sclavonia, circa Epiphaniam Domini, Anno proxime sequenti) rite et ordine celebrentur, durentque, quoad maxime poterunt.

Serenissimo Domino Archi-Duci Matthiae, in recognitionem singularis erga ipsos pietatis, clementiae et affectionis, bonaeque rerum administrationis; de singulis domibus colonicalibus et inquilinariis, in Ungariae et Sclavoniae Regnis, viginti denarios Ungaricos, Status et Ordines Regni demisse offerunt.

Articulus 25.

§. 2. In recognitionem vero ejusmodi singularis suae Serenitatis erga ipsos clementiae et paternae affectionis; ordinarunt suae Serenitati, Donativi nomine, de singulis domibus colonicalibus et inquilinariis, tam in hoc Ungariae Regno, quam etiam in Sclavonia habitis; viginti denarios Ungaricos, binis suprascriptis terminis exigendos.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XIV. ANNI 1603.

De subsidii turbatoribus et detentoribus, Colonis dedititiis, de Sclavonia et servitiorum desertoribus et aliis; praeteriti Anni Articuli renovati.

Articulus 6.

§. 1. Renovantur quoque Articuli ibidem habiti, septimus et octavus, de dedititiis colonis, nec non de Sclavonia, ac de iis; qui non expleto anno, servitia deserunt, seque majoris lucri gratia ad exteros conferunt.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XV. ANNI 1604.

Subsidium pro militum intertentione, Anno praeterito decretum, hoc quoque Anno, per Status Regni offertur; ad Cameras Suae Majestatis Caesareae administrandum: Item de militis Ungari conductione et rationibus postea Majestati Suae Caesareae, de perceptis et erogatis, dandis; faciendaque superinde relatione Regno: Utque Sclavonia et Turcis subjecti dimidium Dicae solvant.

Articulus 2.

§. 7. Sclavonia et Turcis subditi, more solito, medium solvant: Juxta Articulum septimum, Anni Millesimi, Sexcentesimi secundi.

Super juramento Vice-Comitum et aliis ad Dicae Regiae exactionem spectantibus; Articulis praeteritorum Annorum inhaeretur: Et novi exactores rationum priorum constituti.

Articulus 4.

§. 1. Pro exactore rationum priorum Annorum, in Comitatibus Regni superioribus, loco Georgii Tyrnaviensis, Petrus Mladessovith; in Sclavonia, Reverendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, Magnificus Dominus Nicolaus Istvanffy et Egregius Stephanus Beryzlavith nominantur.

De stipendio militari; Generali et particulari Insurrectione et aliis: Deque laboribus gratuitis; Anni proxime praeteriti Articulus septimus et octavus renovati.

Articulus 7.

§. 1. Sclavonia de suis Confiniis et de restauranda Chazma prospiciat.

Ut Capitanei Confiniorum, eorumque Vice-Capitanei et milites stipendiarii, quorumvis praedia, terras, sylvas, aquas et similia, violenter non occupent: Nec quorumcunque colonos recipiant: Et ut a colonis, in bona Dominorum et Nobilium condescendentibus, Decimae exigantur; et Dominis terrestribus terragium, sive Nona ab eis praestetur.

Articulus 14.

Conqueruntur hoc loco Domini Praelati, ac tam Ecclesiasticus quam Saecularis Ordo universus; signanter vero Capitula Strigoniense et Jaurinense, cum reliquis, quod tam milites stipendiarii, Confiniorum Capitanei, vel eorum Vice-Capitanei, praedia, terras arabiles, capturas piscium et usonum, ac foenilia et sylvas, sine ulla Dominii recognitione, occupant, et quorumcunque colonos recipiunt; et nihilominus in prioribus bonis ipsos tuentur:

§. 1. Idem fieri dicitur etiam in Sclavonia et Croatia per Valachos, qui nuper ex ditione Turcica eo se contulerunt, in Episcopatus Zagrabiensis et nonnullorum Dominorum et Nobilium bonis; utpote Dominorum Comitis a Zrinio, Derssffy, familiae Pogan, ac aliorum.

§. 2. Statuitur itaque; ut ab his omnibus Decimae exigantur et Dominis terrestribus terragium sive Nona praestetur.

§. 3. Inter alia autem; a dictis Valachis in Sclavonia et Croatia (qui et Jurisdictioni Dominorum terrestrium, ratione fundi et sessionis, quam incolunt et inhabitant, subjecti sint) idem praestetur. *)

---

*) Renovatur; An. 1608. art. 9. post Coronat. An. 1659. art. 1. An. 1715. art. 113.

§. 4. Requirat itaque Sua Majestas Caesarea Serenissimum Archi-Ducem Ferdinandum, ne tales, contra Dominos ipsorum terrestres, defendat:

§. 5. Supradictorum Confiniorum etiam Capitaneis, tam Germanis, quam Ungaris, serio praecipiat; ut ab ejusmodi violentiis et damnis inferendis abstineant.

Domini Carolus et Ernestus Kolonichii, Fratres Domini Sigefridi a Kolonich similiter in Ungaros recipiuntur.

Articulus 20.

Ad benignam porro Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis admonitionem; condignum habentes etiam respectum Status et Ordines, fidelitates et fidelium servitiorum Magnifici Sigefridi a Kolonich, quae ipse hactenus indefesse et constanter praestitit: Fretique Status et Ordines, Fratres quoque ipsius Domini a Kolonich, Magnificos Carolum et Ernestum a Kolonich, vestigia ejus fideliter imitaturos; eosdem in coetum et numerum eorundem similiter cooptaverunt.

PACIFICATIO VIENNENSIS ANNI 1606.

Ad nonum et Decimum.

Sacra Caesarea et Regia Majestas, Ungariam et Partes ei annexas, Sclavoniam videlicet, Croatiam et Dalmatiam, per Ungaros nativos et Nationes ei subjectas et annexas possidebit.

§. 1. Item, tam majora, quam minora officia Regni, etiam externa et Confiniorum Praefecturas; ex consilio Ungarico, Ungaris et Nationibus ei annexis idoneis, *) nullo interposito Religionis discrimine, conferet.

CONDITIONIS PACIS TURCICAE ANNI 1606.

Octava.

Ut Jaurinensi Generali Capitaneo, similiter et Bassae Budensi (reliqui autem ab illo dependeant) et Bano in Sclavonia, reliquisque Capitaneis Supremis, ultra et Cis-Danubium; pro evitandis forte in Confiniis oriendis contentionibus et scandalis, omnis potestas detur: Quodsi autem aliqua magni momenti negotia intervenerint, quae per eos decidi non possent, extunc de hujusmodi uterque Imperator requiratur.

---

*) Confirmatur; An. 1609. art. 24. Et novissime; An. 1741. art. 15.

MATTHIAE II. IMPER. & REG. DECRET. I. ANNI 1608. ARTIC. ANTE CORON.

Officium Cancellariatus bene meritae alicui personae conferatur: Et Majestas Sua Regia, in rebus Ungaricis, non nisi Ungarico etiam Consilio utatur: Neque supplicantes, alios, quam decet, Consiliarios et Secretarios, pro suis expeditionibus adeant.

Articulus 10.

Ad Nonum et Decimum. Ut omnis gubernatio dignitasque Consilii Ungarici: Item Cancellariae authoritas, per Suam Regiam Majestatem defacto restauretur: Eaque ex Consilio Ungarico idoneae personae conferatur; nec non omnia officia majora et minora, etiam Tricesimae, earumque Praefecturae, tam in hoc Ungariae, quam aliis sibi annexis, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis, per nativos Ungaros, Nationesque subjectas et annexas, de caetero administrentur, statutum est:

§. 1. Caveatque Sua Majestas Regia sufficienter, praedictis Statibus et Ordinibus Regni; ne externae Nationes deinceps et alterius Nationis homines in gubernationem Ungaricam unquam sese ingerant:

§. 2. Neve in rebus Ungaricis aliorum, quam Ungarorum Consilio (ex omnibus Partibus Regni Ungariae, atque etiam Sclavoniae, ex Ordine quoque Nobilium, in praesenti adhuc Diaeta collecto, juxta Decr. 3. Uladislai Regis Artic. 7. et Ludovici 2. Artic..39.) absque Religionis discrimine, eadem Majestas Sua utatur.

Confiniorum Praefecturae et Capitaneatus Ungaris in Regno possessionatis conferantur: Et ratione Praesidiorum Sclavonicorum Majestas Sua Regia cum Serenissimo Archi-Duce Domino Ferdinando per Legatos concludat.

Articulus 11.

Confiniorum vero Praefecturas et Capitaneatus, tam in hoc, quam supradictis Regnis; Ungaris nativis, aliisque subjectis et annexis Nationibus, idoneis videlicet et bene meritis personis, adhuc sub hac Diaeta, Majestas Sua Regia ex Consilio Ungarico conferat.

§. 1. Imo et officia Supremorum Capitaneorum Praesidii Vesprimiensis et Neogradiensis, nativis Ungaris, excepto pro nunc Jaurino (ita tamen, ut ibidem juxta antiquum morem et consuetudinem, Ungari Vice-Capitanei, cum pristina authoritate et potestate, de caetero interteneantur, idemque Supremus Capitaneus Jaurinensis Juribus Regni subjaceat et suam post Regiam Majestatem dependentiam a Palatino habeat, neque se in jurisdictionem Dominorum terrestrium ingerat, contrariumque faciens Juribus Regni subsit) Dominis videlicet Baronibus, seu Nobilibus in Regno possessionatis: Capitaneatum vero Comaromiensem, ut nativo Ungaro, bene meritae personae, sine ullo Religionis discrimine conferat; obnixe petunt.

§. 2. Similiter etiam in Dalmatia, Croatia et Sclavonia, eductis primo ex Praesidiis Generalibus Capitaneis, aiiisque externis Praefectis et militibus; ratione Praefecturae omnium Confiniorum cum Serenissimo Domino Archi-Duce Ferdinando etc. concludat *) et juxta oblationem suam, Serenissima Regia Majestas, post sui coronationem, Legatos suos Graecium expediat.

§. 3. Imo ut ipsum Banatum, sub hac praesenti Diaeta, cum vetusta sua plenaria authoritate, a Dravo usque mare Adriaticum, bene meritae alicui personae conferat. **)

De militum externorum eductione: Civitatisque Segniensis penes Coronam Regni conservatione: Tum Praesidiorum quoque Sclavonicorum fortificatione.

Articulis 12.

Milites autem Germanos et alios externos, tam ex ipsa Arce, quam etiam Civitate Varasdinensi; nec non etiam ex Muran, Diven, Köszegh, Leva et Lipche, aliisque locis (cum non sint confinia Regni) quam primum educi faciat.

§. 1. Insuper Segniam quoque Civitatem in Dalmatia existentem, ***) Majestas Sua Regia a Corona Regni minime avelli patiatur:

§. 2. Quin potius pro sua Regia et paterna providentia, in eo esse efficereque non dedignetur; ut milites Confiniarii praedictorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, uti antea semper, sic deinceps quoque, in consuetis eorum stipendiis pleno numero, per subsidia Provinciarum Styriae, Carinthiae, Carnioliae interteneantur: Et emerita quoque ipsorum stipendia hactenus insoluta, ipsis dependantur.

MATTHIAE II. IMPER. & REGIS DECR. I. ANNI 1608. ART. POST CORON.

Domino Palatino, Bano et Generali Capitaneo Cassoviensi; sic et Supremis et Vice-Comitibus, potestas datur, praedones ubique locorum capiendi et pro demerito puniendi.

Articulus 2.

§. 7. In Sclavonia idem faciat Dominus Banus.

§. 8. Curandum autem erit, ut etiam Turcae in suis limitibus conserventur et non excurrant: Neque in villis convivia, more eorum solito exerceant, sed se pacificationi cum ipsis factae accommodent: Fiatque talium limitum certa rectificatio, tam in Ungaria, quam in Sclavonia ubique.

---

*) Urgetur; An. 1609. art. 27.

**) Urgetur; An. 1609. art. 28. Adde; An. 1741. art. 47. et alios ibi citt.

***) De hac vide notatu dignissimum An. 1741. a. 56.

Violentiarum et Occupationum quae ab Anno 1592. patratae sunt; quaenam manere et quae non debeant?

Articulus 3.

§. 2. Et quae bona, seu Jura possessionaria, post executionem Comitum, vel Vice-Comitum, nec non Regiorum et Capitularium, Conventualiumque hominum, per quoscunque occupata, seu reoccupata fuerunt, vel imposterum occupabuntur, seu reoccupabuntur; talia bona, seu Jura possessionaria, illis a quibus occupata, seu reoccupata sunt, per Dominos Comites, seu Vice-Comites, sub amissione Officiorum; vel illis insufficientibus, aut nolentibus per Dominum Palatinum; in superiori Ungaria per Supremum Cassoviensem Capitaneum; et in Sclavonia per Dominum Banum; statim et de facto restituantur; Non obstantibus annualibus revolutionibus.

Qualiter ratione quarumlibet violentiarum, praebabita legitima certificatione, ad partis querulantis instantiam, in Comitatibus procedatur?

Articulus 4.

Deinceps autem, si de et super occupationibus et reoccupationibus, nec non aliis violentiis, captivationibus, verberationibus et rerum mobilium, aliorumque Jurium et Castrorum, sub quovis praetextu, per quosvis occupatorum et ablatorum, ab Anno praedicto 1592. hucusque factis, vel fiendis, causae aliquae per quoscunque movebuntur; illae etiam, eodem brevi processu inchoentur, prosequanturque et terminentur; non obstantibus annualis revolutionis praetensionibus:

§. 1. Nimirum ut ad partis querulantis instantiam, Vice-Comes cujuslibet Comitatus, praehabita legitima certificatione, ex Sede Judiciaria, vel Congregatione Comitatus, imo etiam de domo habitationis suae fienda, ad faciem bonorum occupatorum, observata quindena, exire ibique comperta rei veritate, Judicium facere; ac partem convictam, in poena violentiae, refusioneque damnorum convincere et aggravare; Partiumque aliqua Judicio Vice-Comitis non contenta, causam eandem pro saniori ejus discussione ad Sedem Judiciariam; vel ea non existente, ad Congregationem Comitatus primitus celebrandam referre; ibique per Judices Nobilium et Juratos, facta ejusdem causae approbatione aut reprobatione, idem Vice-Comes statim omnibus juridicis remediis abscissis, ad ejusdem causae executionem et satisfactionem iterum exire; eoque ad executionem non sufficiente, Supremus Comes, per Comitatum requisitus, si necesse fuerit, etiam levatis Comitatuum gentibus; et eo etiam non sufficiente, vel executionem facere nolente Regni Palatinus; in Superiori Ungaria Supremus Cassoviensis Capitaneus; in Sclavonia autem Banus; toties, quoties opus fuerit, executionem peragere et ad effectum deducere sint obligati.

Qualiter Valachorum habitatio limitanda?

Articulus 9.

Renovatur hoc loco Artic. 14. Anni 1604. de militibus Confiniaris et Valachis in Ungaria, Sclavonia et Croatia, in bonis Dominorum Praelatorum, Magnatum

et Nobilium ubique existentibus editus. Et statuitur; ut ille Articulus tandem effectui tradatur.

§. 1. Limitatio autem istorum in Sclavonia et Croatia fiat statim, per Dominum Banum, cum Regnicolis. *)

Dica quaternorum florenorum a singulis Portis ad manus Thesaurarii offertur.

Articulus 14.

§. 5. In Sclavonia, more antiquo, medium solvatur et in usum illorum Confiniorum convertatur.

MATTHIAE II. IMPER. & REGIS DECRET. II. ANNI 1609. ARTIC. POST CORON.

Excusatio Regnicolarum; quod exteras Nationes a Regno Ungariae (et Sclavoniae) non penitus excluserint.

Articulus 11.

§. 4. Neque etiam est, quod putent externae Nationes, ipsos totaliter ab Ungaria et Sclavonia, ac partibus ei subjectis, exclusos esse; cum Civitatum (quae in quarto Statu Regni continentur) Incolae, pro majori parte, ex Germanica constent Natione.

§. 5. Neque id ulli mirum, aut in derogamen externae Nationis factum videri debet; si Status quoque et Ordines, ad exemplum aliorum Regnorum et Provinciarum totius Christianitatis (quae non exteris universa inter se officia, sed propriae Nationis hominibus gubernanda, conferre consueverunt) aliquid simile statuere debuerint.

De poena eorum, qui lucri et stipendii cupiditate inducti; ad externas Nationes se contulerint.

Articulus 13.

Statuitur etiam; quod si qui Regnicolarum, turmatim, vel saltem frequentiori numero, absque praescitu et voluntate suae Majestatis; Ea vero absente; Domini Palatini, Supremorumque Regni Capitaneorum; in Sclavonia vero, Domini Bani; se ad exteras Provincias clam, vel aperte Regno adversantes, contempto solo natali, lucri et stipendii cupiditate inducti contulerint; tales Capitis poena per suam Majestatem, vel Dominum Palatinum; in Sclavonia vero, Dominum Banum, Jure mediante irremissibiliter puniantur. **)

Contra excursiones et Liberos Hajdones; quanam poena procedi debeat?

Articulus 19.

De excursionibus et Liberis Hajdonibus, Articuli proxime praeteritae Diaetae ***) renovantur;

*) Huc refer; An. 1635. art. 33. An. 1659. art. 1. Ani 1715. art. 113.

**) Renov. An. 1613. art. 14.

***) Signantur; An. 1608. art. 20. post Coronat.

§. 1. Hoc adjecto; quod Domino Palatino in longinquo existente; insufficientibus Vice-Comitibus, vel Supremis Comitibus; Capitaneus Regni Supremus, irremissibiliter, pro excessibus eorum, tales Nobiles et Hajdones, eorundemque fautores et intertentores (si necesse fuerit, levatis etiam Comitatuum Gentibus, ac finitimarum Arcium militibus) persequendi; eosque Juris ordine, Capitis poena puniendi, habeat potestatis facultatem.

§. 2. Idem faciat in Sclavonia Dominus Banus. *)

De externo milite ex Sclavonia et Croatia amovendo et Banali authoritate restituenda.

Articulus 27.

Quia autem Articulus **) Anni proxime praeteriti de Generalibus et aliis externis Praefectis; et Confiniis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae; ac externo milite, ex Arce et Civitate Varasdinensi, loco videlicet Comitatus ejusdem Judiciario, educendis; atque vetusta dignitatis Banalis authoritate restituenda; nec non intertentione et solutione militum eorundem Confiniorum, per Serenissimum Archi-ducem Ferdinandum, ejusque Inclytas Provincias Styriam, Carinthiam, Carnioliam, satis clarus et manifestus, hactenus in nulla sui parte adimpletus sit; quem ut sua Majestas Regia, secundum benignam suam, in eodem Articulo expresse factam oblationem, tandem ad debitum effectum deducat, Statutum est:

§. 1. Quod ut commodius finem optatum sortiatur; requiratur sua Serenitas, tam per literas et speciales Nuntios ac Commissarios Regiae Majestatis; quam Regnicolarum, infra denominatos, ut sua Serenitas, annotatorum Confiniorum, tanquam antemuralium et certissimae custodiae Provinciarum suarum, ea conditione assumat Administrationem; ut Dominus Banus, omnibus Praefectis immediate, post suam Serenitatem, amodo deinceps plena et omnimoda ac vetusta authoritate praesit; ***) Atque cum sua Serenitate, in rebus bellicis, mutuam habeat correspondentiam; Suaque Serenitas, Praefecturas Confiniorum, ex commendatione Domini Bani, indigenis et Legibus patriis subjectis conferat; solitaque stipendia, munitiones et alia necessaria (ut hactenus, ita deinceps quoque) benigne fieri procuret.

§. 2. Et ut Dominus Comes Palatinus, pro Officiii sui exigentia, habita cum Domino Bano mutua intelligentia, cum praescitu suae Majestatis, vias et rationes, quo potuerit invenire opportuniores et meliores exquirat; quibus praemissa ad effectum deduci queant; Regnicolae statuunt.

---

*) Observandus decernitur praesens Articulus; An. 1618. art. 20. An. 1625. art. 16. An. 1647. art. 95.

**) Nempe 11. ante Coronat.

***) Confirmatur; An. 1630. art. 25. An. 1635. art. 31., 32. et 34. An. 1638. art. 32. An. 1687. art. 22. An. 1715. art. 114. An. 1723. art. 87. An. 1729. art. 20. Et An. 1741. art. 47.

Ut Banus in dignitatem suam Banalem quamprimum introducatur.

Articulus 28.

Banum quoque Sua Regia Majestas, juxta Articulum *) Anni proxime praeteriti superinde editum, plena cum authoritate et Banderio suo Regio, veteri milite exsoluto et certa futurae solutionis ordinatione facta, in dignitatem Banalem quamprimum clementer introduci faciat:

§. 1. Ne Regna illa, tam in bellicis, quam in Juridicis, Capite carentia, ulterius detrimentum capere cogantur; uti hactenus cum maximo eorum dispendio contigit. **)

Quomodo tertius et quartus Constitutionum praeteritae Diaetae, de violentiis et occupationibus bonorum, editi Articuli in suo esse et vigore manere; ac syncere intelligi et quomodo in illis procedi debeat?

Articulus 29.

§. 5. Parti vero succumbenti, liceat primo in Sedem Judiciariam Comitatus, expost vero, extra Dominium bonorum in Curiam; in Sclavonia vero ad Sedem Banalem, per viam Appellationis provocare.

De non occupandis per Capitaneos et Milites Regiae Majestatis Praesidiarios bonis aliorum aliisque similibus.

Articulus 46.

§. 2. Idem intelligatur in Sclavonia.

Ut Dominus Comes Nicolaus a Zrinio et caeteri a Vulachis profugis varia damna ulterius non patiantur: et a Teloniario Serenissimi Archi-Ducis Ferdinandi ipse Dominus Comes non impetatur: providendum.

Articulus 59.

Conqueritur Dominus Comes a Zrinio et caeteri contra Valachos profugos, a quibns eisdem varia damna in dies inferuntur, et ea in re referunt se ad Articulum decimum quartum, Anni Millesimi Sexcentesimi Quarti et praeteriti.

§. 1. Item idem Comes a Zrinio, contra Teloniarium Serenissimi Archi-Ducis Ferdinandi, qui in Oppido Lyka constitutus, justis proventibus, ex Portu Buccariensi antiquitus provenire solitis, eum privare nititur.

§. 2. Itaque censent Regnicolae; ut sua Majestas, per Legatos ad dictum Serenissimum Archi-Ducem Ferdinandum destinandos, efficiat; ne idem Dominus Comes, deinceps justis suis juribus privetur; sed in pacifica possessione suorum bonorum conservetur.

*) Nempe; 11. ante Coronat. §. fin.

**) Urgetur; An. 1647. art. 51.

De nova Portarum connumeratione instituenda; et quinam Dicatores eligi debeant? et quomodo in connumeratione procedendum? et qualiter, quosve in usus, oblata Dica quatuor florenorum Ungaricorum converti; quive huic Contributioni subjacere; et quibus in terminis praefata Contributio, in duos Annos duranda, exigi debeat?

Articulus 62.

§. 7. In Sclavonia more antiquo medium solvatur et in usum illorum Confiniorum convertatur; inclusis etiam bonis Capitaneatus Caproncensis: Quarti tamen floreni dimidium ad nominatos usus administrent; Prout etiam Civitates liberae, in Ungaria quidem ad Domini Palatini; in Sclavonia vero ad Domini Bani requisitionem, pro conservatione Coronae, expensas se liberaliter conferre obtulerunt.

§. 8. Turcis quoque dedititii more antiquo medium solvant.

§. 9. Hujus autem Contributionis exactio duobus terminis fiat, medietas pro Festo Beati Georgii Martyris; altera vero medietas pro Festo Beati Michaelis Archangeli.

De celeri in necessitate aliqua Regni insurrectione; quomodo in ea procedendum? et qualiter de singulis quatuor Portis, unus Eques bene armatus interteneri debeat?

Articulus 65.

§. 3. Civitates autem Regiae et liberae, ad hanc necessitatem, pedites interteneant, juxta moderatam et tolerabilem limitationem Domini Palatini; in Sclavonia vero Domini Bani. *)

Ut sua Majestas Regia de Salario et residentia Domini Palatini; sic quoque de stipendii Domini Bani Regni Sclavoniae solutione; cum eisdem benigne convenire et concludere dignetur.

Articulus 67.

Quod ad Salarium et residentiam Domini Palatini attinet; sua Majestas Regia, ex singulari gratia, qua in eum suum servitorem primarium propendet; de eo cum illo quamprimum et certo certius concludet.

§. 1. Similiter etiam cum Domino Bano Regni Sclavoniae, sua Majestas Regia, de ipsius Stipendii solutione benigne conveniet.

---

*) Observandus statuitur, An. 1635. art. 88. Allegatus etiam, An. 1681. art. 47.

Judicia Regni tum Brevia, tum Octavalia, postliminio iterum in usum revocantur et instituuntur modo sequenti.

Articulus 70.

§. 2. In Sclavonia vero pro Festo Epiphaniarum Domini et Sancti Jacobi, in Civitate Montis Graeciae.

De Taxa literarum et Privilegiorum.

Articulus 72.

§. 21. De Literis Adjudicatoriis; Remissionalibus super deliberatione causarum quarumcunque Appellationum, in sedem Regiam deductarum emanatis; si causa talis simpliciter approbata, vel etiam sine quavis poena emendata fuerit; floreni Tres: Sin vero approbata quidem, sed poena in Comitatu, parti convictae imposita, juxta Decreta et observationes Regni, duplicata fuerit; floreni Sex. Et hoc intelligendum est de Causis ex sedibus Comitatuum, quae ultra Centum florenos, quoad poenam se extendere non possunt, transmissis: Nam in causis ratione bonorum et Jurium possessionariorum, vel alicujus rei magnae, ex Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ac partibus Transylvaniae, nec non Liberis et Montanis Civitatibus per viam Appellationis deductis, si Causa hujusmodi in Curia Regia fuerit approbata, vel emendata; tunc pro Literis debet fieri solutio, sicuti superius de Literis Adjudicatoriis ratione Obtentionis bonorum et Jurium possessionariorum descriptum est.

MATTHIAE II. IMPER. & REGIS DECR. III. ANNI 1613. ART. POST CORON.

De connumeratione portarum Dicaeque Contributione: De exactione item pro conservatione Coronae, emptione et aedificatione domus, ac pro diversis Legatis: Nec non de modo Contributionis per Regnum Sclavoniae praestandae.

Articulus 9.

§. 3. In Sclavonia more antiquo medium Dicae solvatur et in usum illorum Confiniorum convertatur; dempto honorario infrascripto et Contributione in conservationem Coronae deputata, quae integre praestare debebunt. *)

Articuli praeteritarum Diaetarum de violentiis et occupationibus bonorum editi lucidius declarantur.

Articulus 23.

Articuli Constitutionum praeteritae Diaetae, de violentiis et occupationibus bonorum editi; ut in suo esse, vigore et vero sensu maneant, Status et Ordines Regni etiam nunc decernunt.

*) Allegatur; An. 1618. a. 41.

§. 6. Parti vero succumbenti *) liceat primum in sedem Judiciariam Comitatus; expost vero extra Dominium in Curiam Regiam; in Sclavonia vero ad sedem Banalem, per viam appellationis provocare.

§. 11. In quibus vero Comitatibus Supremi Comites non essent; vel remotius existerent; extunc potiores Nobiles per Dominos Palatinum, vel Judicem Curiae; in Sclavonia vero per Dominum Banum nominandi, praefatam Limitationem et Executionem peragant.

Colonos fugitivos Capitanei Confiniorum, aliaque Oppida, quae eos in medium ipsorum recipiunt; sub poena Decreti restituant.

Articulus 36.

Colonos et servos fugitivos Dominorum et Nobilium, ad bona suae Majestatis, vel Confinia tam Ungarica, quam Sclavonica fugientes; Capitanei, ita et incolae Possessionis Oroszfalva, sub fortalitio Drégel existentis et Szatthmár, Némethi, Nyir-Báthor, Bereghszász et Vaáry (qui nescitur sub cujus Privilegii praetextu, rusticos fugitivos apud se detinere non verentur) sub poena in Decreto statuta, ad bona priora reddere et restituere teneantur. **)

De introductione Domini Bani Regni Sclavoniae, et de Juridicis ejusdem expeditionibus pro legitimis et authenticis habendis.

Articulus 38.

Introductionem Banalem (quam Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas identidem, adhuc superiorum Constitutionum tempore, se maturaturam clementer obtulerat) ut sua Regia Majestas juxta modernam etiam suam benignam resolutionem, ante felicem suum ad Comitia Imperialia profectum, debito effectui mancipare clementer dignetur; Status et Ordines supplicant.

§. 1. Universae vero et quaevis Juridicae expeditiones, hactenus sub Sigillo authentico moderni Domini Bani emanatae et usque ad introductionem ejusdem emanandae, nulla obstante exceptione introductionis hactenus non factae, pro authenticis habeantur et legitimis, statutum est.

De Limitatione Contributionum per Valachos praestandarum; renovantur Articuli praeteritarum Constitutionum. Item de Legatione Graecensi prosequenda.

Articulus 39.

Limitatio Contributionis et subjectionis Valachorum in Regnis Sclavoniae et Croatiae, in territoriis Dominorum et Nobilium, tam Regni hujus Ungariae, quam eorundem Regnorum residentium, eo quod immediate ad Jurisdictionem Sacrae Regni Coronae et per consequens Sacratissimae suae Majestatis iidem Valachi spectant; refertur ad Articulos proxime praeteritarum Constitutionum.

---

*) Confer An. 1719. a. 32.

**) Renovatur; An. 1618. a. 48. An. 1622. a. 27. An. 1635. a. 47. An. 1638. a. 67. An. 1655. a. 43.

§. 1. Et quia Legatio Graecensis (ad quam Regnicolae diversis vicibus aliquot millia florenorum exposuerunt) nullum effectum est sortita; Status et Ordines Sacratissimae suae Majestati humillime supplicant; ut inter alias per Sacratissimam Majestatem approbatas et confirmatas Constitutiones Regni, huic quoque tandem clementer satisfacere dignetur:

§. 2. Ne inter Regnicolas ac praedictos Valachos aliquem tumultum pernitiosum suborire contingat, si Dominis terrestribus non paruerint.

Restantiae Contributionis quarti floreni ad manus Domini Petri de Rêva administrandae. Ipse vero Dominus de Rêva, de rationibus super quarti floreni perceptione datis quietatur.

Articulus 42.

§. 1. Et cum ex ejusdem rationibus manifeste comperiebatur, Perceptores suae Majestatis Posonienses et Scepusienses et alios quosdam sese in perceptionem quarti floreni immiscuisse; et apud quosdam Dicatores, uti et apud Regnum Sclavoniae, ac Civitates tam Partium Regni Ungariae superiorum, quam inferiorum et Sclavoniae restantias haberi;

§. 2. Ideo statutum est; ut Perceptores suae Majestatis et reliqui etiam, pecuniam ad se levatam; Dicatores vero et Civitates, restantias usque ad Festum Ascensionis Domini proxime venturum, ad manus ejusdem Domini Petri de Réva, citra omnem tergiversationem administrent.

MATTHIAE II. IMPER. & REG. DECRET. IV. ANNI 1618. ARTIC. POST CORON.

Magnificus Ernestus a Kollonich Indigena Regni declaratur; et in Vice-Capitaneatu Jaurinensi confirmatur.

Articulus 5.

Vice-Capitaneus Jaurinensis, Magnificus Ernestus a Kollonich, siquidem Croata, ac proinde Indigena Regni *) esse comperitur; in officio suo maneat: Renovato hoc loci Artic. 11. Anni 1608. ante Coronationem.

De Commissione ratione Valachorum juxta Constitutiones praecedentium Annorum instituenda.

Articulus 32.

Praeterea ex quo Valachi in Regnis Croatiae et Sclavoniae in terris Dominorum et Nobilium residentes, juxta praecedentium Annorum Articulos, per Commissionem superinde institutam a Jurisdictione Capitaneorum Confiniorum necdum sint exempti ac restituti:

§. 1. Statutum est; ut iidem Valachi, per jam semel delegatos suae Majestatis Commissarios, videlicet Reverendissimum Dominum Franciscum Ergelium, Episcopum Vesprimiensem, Commissionis Praesidem, et Spectabilem ac

---

*) Optima consequentia et jam articulariter notificata; Vide An. 1741. a. 61. Vigore cujus; filii nativi Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, denominatione Ungarorum veniunt, quoad officia et beneficia Ecclesiastica et secularia. Simile quid habetur, etiam An. 1625. a. 65.

Magnificum Dominum Benedictum Pakay, Personalem Praesentiam et Moysem Cziráky (non obstante unius vel alterius absentia cum authoritate Praesidi danda, ut loco absentium alios substituere possit) statim absoluta praesenti Diaeta, eisdem Regnicolis plenaria Jurisdictione restituantur. *)

Bona Praesidii Kapronczensis oneribus Regni subsint; et Capitanei, ac Praefecti Confiniorum, in Jurisdictionem Dominorum terrestrium sese non intromittant.

Articulus 33.

Bona Praesidii Kapronczensis per Capitaneos ejusdem loci, extra omnem Fisci Regii et Regni utilitatem possessa; Jurisdictioni et oneribus Regni, in Dicis Regiis et Contributionibus solvendis, gratuitisque laboribus praestandis, ac Decimis; instar aliorum Regnicolarum sint subjecta:

§. 1. Neque Capitanei et Praefecti Confiniorum in bona et Jurisdictionem Dominorum terrestrium et liberarum Civitatum, sub amissione officiorum, sese intromittant, statutum est. **)

De Dica seu contributione a portis praestanda; et in duos annos imposita.

Articulus 36.

§. 2. Turcis tamen subjecti dimidium solvant.

§. 3. Sic etiam Sclavonia juxta Anni 1596. art. 9.

De Contributione pro communis domus Regni restauratione: Annonae in Arcem Posoniensem reponendae coemtione: Restantiisque pro exolutione Custodum Coronae inexactis sub poena exigendis.

Articulus 40.

§. 4. Caeterum Liberae etiam et Montanae Civitates tam in Ungaria, quam Sclavonia existentes, in restauranda praescripta domo communi, pro ipsarum erga Patriam amore et studio gratificandi; auxilio esse non detrectent.

De terminis celebrationum Octavalium et aliorum Judiciorum in Regno consuetorum. Pro quibus etiam certae personae e medio Regnicolarum denominantur.

Articulus 64.

In Sclavonia vero pro Festo Epiphaniae Domini et Sancti Jacobi Apostoli in Civitate Montis Graecensis ***) celebrentur.

---

*) Allegatur et firmatur; An. 1635. art. 33. An. 1715. art. 113.

**) Renovatur; An. 1630. art. 25. §. fin. Allegatur; An. 1635. art. 35., 36. et 39. Item; An. 1638. art. 22. Et An. 1647. art 48.

***) Seu in Regia Civitate Zagrabiensi.

FERDINANDI II. IMPER. & REGIS DECRETUM I. ANNI 1622. ARTIC. POST CORON.

De insertione publicis Regni Constitutionibus Diplomatis per Sacram Caesaream Regiamque Majestatem, Statibus et Ordinibus Regni, tempore felicis inaugurationis suae concessi.

Articulus 2.

§. 7. *Prima Conditio.* Quod universas et singulas Regni libertates, immunitates, privilegia, statuta, jura et consuetudines, simul et conclusionem tractatus Viennensis, omnesque Articulos, in eodem comprehensos, ita et reliquos, ante et post Coronationem, modernae Sacratissimae Caesareae et Regiae Majestatis in Anno 1608. et 1609. editos, in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis, sua Majestas Regia firmiter et sanctae observabit, per aliosque omnes inviolabiliter observari faciet.

§. 10. *Quarta Conditio.* Confiniorum vero Praefecturas, Capitaneatus et alia officia, tam in hoc, quam aliis Regnis annexis, Majestas sua, juxta Articulum undecimum ante Coronationem Anno 1608. editum conferet.

§. 13. *Septima Conditio.* Quod in Palatini electione, ejusdemque authoritate, Jurisdictione et Officio, juxta Artic. Viennensis Pacificationis ad tertium, item ante Coronationem edito, Anni 1608. Art. 11. et Anni 1613. Art. 7. Ferdinandi Regis Anni 1555. Art. 1. circa finem, ac secundum formam juramenti ejusdem Palatini, praescriptum modum Majestas sua observatura est. De Banatu etiam, quae in eodem Artic. 11. Anni 1608. continentur: Similiter et de Valachis, Annor. 1604. Art. 14. Anni 1608. Art. 9. et Anni 1613. Art. 39. effectuabit.

§. 14. *Octava Conditio.* Quandoquidem salus et permansio, non modo afflictae hujus Patriae, tanquam clypei et antemuralis, sed aliorum quoque vicinorum Regnorum et Provinciarum, ex bona et secura Confiniorum provisione dependeat; Majestas sua, juxta Artic. 21. Anni 1608. ante Coronationem et Art. 32. Anni 1609. paterne Confiniis providere dignabitur.

De nonnullorum privatorum Regnicolarum bonis per Exercitum suae Majestatis occupatis restituendis.

Articulus 13.

§. 2. In Sclavonia vero; Rechicze, Castellum Domini Pauli de Nadasd restituatur.

De modo Insurrectionis in casu hostilis impetus et summae necessitatis.

Articulus 21.

§. 7. Civitates autem Liberae juxta limitationem Domini Palatini; in Sclavonia vero Domini Bani, onera belli ferre debebunt.

Renovantur Articuli publicarum Regni Constitutionum, super rerum Ungaricarum gubernatione et proventuum Regni administratione.

Articulus 24.

Statuitur etiam; ut ab omni rerum Ungaricarum gubernatione et publicorum Regni proventuum administratione, externae nationis homines arceantur: Superindeque Articuli ante Coronationem ad 9. et 10. Anni 1608. editi exacte observentur. *)

§. 1. Signanter autem sancitur; ut amodo deinceps universae et singulae Tricesimae, tam trans, quam vero cis-Danubium, in quibuscunque Regni hujus Ungariae, Partiumque eidem annexarum Comitatibus erectae et earum universi proventus, non ad Cameram Austriacam (prout hactenus factum est) sed ad Ungaricam Posoniensem administrentur.

Oblatio Dicae seu Contributionis a Portis praestandae et in duos Annos impositae.

Articulus 32.

§. 3. In Sclavonia tamen dimidium solvent et in usum illorum Confiniorum convertent. **)

Salarium pro Conservatoribus Sacrae Regni Ungariae Coronae destinatur.

Articulus 34.

In Sclavonia autem florenom unum; pro hac vice manibus Egregii Leopoldi Pek Perceptoris (quia ratione officii Perceptoratus, nomine salarii habebit florenos Ungarical. Quingentos) in Anno praesenti quidem ad Omnium Sanctorum; in subsequentibus Annis autem ad Nativitatis Beati Joannis Baptistae affutura festa assignandos.

Super Diplomate a Sacra Caesarea Regiaque Majestate Statibus et Ordinibus Regni Sclavoniae concesso.

Articulus 49.

Recognoscunt insuper Status et Ordines; Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas tempore felicis inaugurationis suae in Regem Ungariae, Statibus et Ordinibus Regni Sclavoniae quam benignum Diploma elargiri dignata est.

§. 1. Quod quidem Diploma per suam Sacram Majestatem in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis observatum iri, iidem Status et Ordines nullatenus ambigunt: ***)

§. 2. Id quod sua Majestas etiam sub hac Diaeta benigne declaravit.

---

*) Vide An. 1741. art. 14.

**) Allegatur; An. 1630. art. 5. An. 1635. art. 8. An. 1647. art. 36. Denique An. 1715. art. 113.

***) Renovatur praesens art. An. 1630. a. 25. §. fin. Allegatur; An. 1635. a. 39. Et An. 1638. a. 22.

De rectificatione metarum similiter Articulus superinde editus renovatur.

Articulus 56.

§. 1. Loco autem illorum Commissariorum, qui medio tempore vel decesserunt, vel usque tempus Commissionis decederent, aut forte abesse deberent; Dominus Comes Palatinus et in Sclavonia Dominus Banus alios deputandi habeat authoritatem. *)

FERDINANDI II. IMPER & REGIS DECRETUM II. ANNI 1625. ARTIC. POST CORON.

Dica seu contributio in duos Annos decernitur.

Articulus 8.

§. 3. In Sclavonia tamen et Turcis dedititii dimidium praestabunt.

Honorarium noviter coronatae Regiae Majestati offertur.

Articulus 9.

§. 1. Turcis tamen subjecti et Sclavonia medium de singulis Portis florenum praestabunt.

Pro rectificatione et reambulatione metarum cum vicinis Provinciis instituenda Commissarii nominantur.

Articulus 23.

§. 5. Inter Croatiam ab una, parte vero ab altera Styriam et Carinthiam usque ad Mare; Reverendissimus Dominus Petrus Domitrovith, Episcopus Zagrabiensis: Item Spectabilis ac Magnificus Dominus Comes Christophorus Bánffy: Magnificus Casparus Konsky: Egregii; Magister Stephanus Patachich, Protonotarius Regni Sclavoniae: Gregorius Petthö: Thomas Mikulich: Nicolaus Tompa: Directore causarum Regalium; vel ejus loco uno ex Protonotariis nomine Fisci, ubique praesente.

Subsidium pro stipendio Conservatorum Coronae Castellanorum et militum stipendiariorum qualiter contribuendum, erogandum?

Articulus 28.

§. 1. A Portis autem in Sclavonia et Turcis subjectis dimidium solvatur.

---

*) Urgetur et Comissarii denominantur; An. 1625. a. 23.

Tricesimae et proventus earum a Posoniensi usque ad Mare Adriaticum, ad Cameram Ungaricam applicandae; et de modo collationis Praefecturarum et Officiorum.

Articulus 33.

Post clementem suae Majestatis annuentiam et declarationem elargitam, statuitur quoque; ut amodo deinceps, omnes et singulae Tricesimae, earumque proventus, a Posoniensi usque ad Adriaticum Mare erectae, ad Cameram Ungaricam applicentur. *)

§. 1. Earumque Praefecturae et Officiolatus nativis Ungaris et Partium Regni Ungariae annexarum Indigenis, iisque bene meritis conferantur. **)

De cursu juris et Judiciorum Octavalium, item; Generalium et Brevium celebratione per totum Regnum observando.

Articulus 51.

In Sclavonia porro, pro festo Epiphaniae et Sancti Jacobi Apostoli in Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis celebrentur.

Transmissiones per Dominum Palatinum pro Octava festi Epiphaniae in Civitate Novisoliensi revidendae.

Articulus 52.

§. 1. Salvo tamen permanente pro Regno Sclavoniae eodem termino judiciorum Octavalium.

Praepositus Ecclesiae Zagrabiensis per Regales literas ad Comitia vocandus: isque et unus Nuntiorum Regni Sclavoniae inter Praelatos, Barones et Magnates locum et vocem habeant.

Articulus 61.

Denique ob certos, eosque rationabiles respectus, Status et Ordines unanimiter concludunt; ut imposterum futuris semper temporibus Praepositus Zagrabiensis pro tempore existens, peculiaribus literis Regalibus vocetur ad Comitia et inter Magnates locum et vocem habeat:

§. 1. Similiter unus ex Ablegatis Regni Sclavoniae, inter Magnates vocem habeat: Reliquis ablegatis, inter Regnicolas solitum locum et suffragium retinentibus.

---

*) Urgetur haec applicatio; An. 1630. a. 15. Quae deinde subsecuta, ut perseveret, statuitur; An. 1635. a. 30. Quod confirmatur; An. 1741. a. 14. §. fin.

**) Prout jam constitutum erat; An. 1618. a. 18. Et aliis ibid. citt.

De Comitis a Sampach stirpe et descendentia genealogica.

Articulus 65.

Quoniam Statibus et Ordinibus ex parte Spectabilis ac Magnifici Domini Comitis Zdenko a Sampach repraesentatum est; in proxime praeterita Regni Ungariae Diaeta, in Anno 1622. Sopronii celebrata, inter alias externae nationis personas in caetum et numerum Regnicolarum Ungarorum receptione, ipsum quoque non aliter adnumeratum et cooptatum esse, quam si alienigena et extraneae nationis foret.

§. 1. Caeterum quoniam compertum habetur et privilegialibus literis ac authenticis instrumentis contestatum est; ipsum Comitem Originem ducere ex genere Illyrico; in decus prosapiae suae, placuit Statibus et Ordinibus ut peculiari Articulo idipsum declaretur, ipseque Comes a Sampach non tanquam externae nationis persona in Regnicolam Ungarum noviter creatus; sed tanquam Sacrae Coronae membrum et indigena, juriumque Regni capax haberetur ac reputaretur. *)

FERDINANDI II. IMPER. & REGIS DECRETUM III. ANNI 1630. ARTIC. POST CORON.

De Confiniis tam Ungariae quam Banalibus Colapianis per Commissarios perlustrandis: Et de subsidiis Imperii antea consuetis, per suam Majestatem procurandis: Fortalitiisque et praesidiis Ujvár, Egervár, Nempthi et Szalavár muniendis.

Articulus 2.

Quia Regnum istud Ungariae eo loci est Divina Providentia constitutum, ut adversus juratos et capitales populi DEI hostes, quibus longissimo terrarum tractu periculosa vicinitate contiguatur, merito Christiani Imperii propugnaculum dici haberique possit ac debeat.

§. 1. Ideo Status et Ordines, non immerito primum et ante omnia, de iis deliberandum et concludendem esse censuerunt; quae Patriae huic residuae securitatem pariter et promotionem adferre praestareque possint.

§. 2. Inter quae omnium consensu principalem locum sibi vendicant Confinia, quae salutem pariter et exitium pro qualitate dispositionis eorum, solent experientia teste, Regno plerumque adferre et causare.

§. 3. Cum ergo ad Confiniorum statum haec potissimum sint necessaria: Fabrica nimirum, Stipendium, Annona et Armatura, de eorum tam videlicet Ungaricorum, quam Banalium Colapianorum, nominatim vero Novae Arcis fortificatione et reparatione, visum est Sacrae Caesareae Religiaeque Majestati et Regnicolis; ut ad opus adeo necessarium et utile confestim periti et idonei Architecti et operarii expediantur: Atque in fabricae ipsius sumptus comparandos et in eum

*) Sic etiam Kollonich, quia Croata; indigena Ungariae recognoscitur, An. 1618. a. 5. Id quod jam clara lege definitum habemus; An. 1741. a. 61.

finem applicandos, interposita suae Sacrae Majestatis requisitione in Sacro Romano Imperio et vicinis Provinciis, more antiquitus observato, ut Contributiones fiant; sua Majestas clementer efficere dignetur.

De praesidiariorum militum numero complendo: Eorumque stipendiis rite exolvendis: Dependentiaque a Confiniorum Capitaneis habenda.

Articulus 4.

Quantum porro ad certum et continuum stipendii militaris cursum ac administrationem attinet; post miserabilem Confiniariorum inopiam et paucitatem demisse sibi repraesentatam, sua Sacratissima Majestas benignissime decrevit; ut deinceps in Ungaria pariter et Sclavonia, tam pecuniaria solutione ipsis opportunius, quam hactenus fuit, succurratur; quam vero pannus et alia, quae in eorum contentationem dari consueverunt, competenti pretio distribuantur.

De Tricesimis sub Jurisdictione Sacrae Coronae erectis ad Cameram Posoniensem applicandis: Filialibus vero facta inquisitione deponendis: Judaeisque ab arendatione earundem amovendis.

Articulus 15.

Quamvis Anno superiori post clementem suae Sacrae Majestatis resolutionem in Comitiis Soproniensibus Anni 1625. Art. 23. elargitam, Tricesimae ab Adriatico Mari usque ad Posoniensem erectae ad Cameram Posoniensem applicandae fuerant; quia tamen ejusmodi applicatio hucusque facta non est; statutum est: Ut deinceps ea omnino realiter effectuentur.

De pulsione Boum quaestus causa indigenis Croatiae et Sclavoniae libera permittenda.

Articulus 19.

Porro de interdicto illo Camerae Styriacae, per quod quaestura et pulsio Boum Indigenis Regnorum Croatiae et Sclavoniae prohibita erat; decretum est: ut tollatur.

De limitibus Partium Regni ad Segniam, Thersact et portum Buccari: Juribusque Dominorum Terrestrium salvis habendis.

Articulus 23.

Ut sua Sacra Majestas juxta benignam suam oblationem curare dignetur; ne per tractatus externarum Provinciarum libertati ac limitibus Regni, ac maxime sylvis, Alpibusque Segniensibus, Arcique Thersact, ac portui quoque Buccari,

eorumque Dominis et possessoribus quicquam praejudicetur; sed omnia salva et integra Regno et iis quorum interest permaneant; humillime supplicant Status et Ordines.

Commissarii pro negotio Valachorum in Sclavonia et Croatia peragendo nominantur.

Articulus 24.

Pro negotii Valachorum in Sclavonia et Croatia existentium, executionis et effectuationis complemento; ad Commissionem juxta moderni temporis rationem et benignam suae Majestatis superinde, novissime sub hac diaeta factam resolutionem peragendam Status et Ordines nominant Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Joannem Telegdy Archi-Episcopum Colocensem, vel Reverendissimum Dominum Georgium Draskovith Episcopum Quinque-Ecclesiensem, juxta suae Majestatis placitum, pro Praeside: Ac Spectabilem et Magnificum Dominum Ladislaum Cháky, Generosos item Stephanum Sárkány et Valentinum Horvath, pro Commissariis.

De Banali authoritate in integrum restituenda: Erroribusque et injuriis per Capitaneos et milites Confiniarios commissis et illatis corrigendis.

Articulus 25.

De Banali authoritate antiqua in integrum restituenda et illibate conservanda, quomodo nam sua Majestas se ipsam resolvere dignata sit; Status et Ordines humillime intellexerunt; Sperantes deinceps omnem superinde conquerendi materiam amputatum iri.

§. 1. Statuunt igitur; ut Conditio septima superinde stabilita et Articulus 11. Anni 1608. ante Coronationem editus, in eademque conditione citatus et Anni 1609. Art. 27. Item 1618. Art. 31. cum effectu observentur.

§. 2. Reliqua quoque Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae gravamina, quae juxta Constitutiones publicas, hactenus superinde sancitas. necdum forent effectuata; ut optatum ad effectum deducantur:

§. 3. Sed et Capitanei et alii Officiales militares in Croaticis et Sclavonicis Confiniis constituti, per quos gravissimae injuriae Regnicolis illatae esse commemorantur; ut in ordinem redigantur et juxta benignam suae Majestatis superinde resolutionem, comperta rei veritate, condigna castigatione errores ejusmodi emendentur; renovantur Art. Anni 1618. Art. 33. et Anni 1622. Art. 49.

De celebratione Judiciorum Octavalium.

Articulus 45.

Circa administrationem Generalium et Breviorum Judiciorum Octavalium, tam in superioribus Regni partibus, in Civitateque Eperjes celebrandorum; quam vero

in partibus Cis- et ultra-Danubianis ad hanc Civitatem Posonien. indicendorum; ac etiam in Regno Sclavoniae, in Civitate Montis Graecensis Zagrabiensi peragendorum; renovatur Art. 51. Anni 1625.

FERDINANDI II. IMPER & REGIS DECRETUM IV. ANNI 1635. ARTIC. POST CORON.

Dicae et Contributionis in duos Annos impositae, exactionis, ac errogationis modus praescribitur et limitatur.

Articulus 1.

5. Ordinatum item est, ut omnes et singuli Regnicolarum, quaesturam exercentes, quicunque hactenus et a quibuscunque rebus et mercibus ad solutionem Tricesimarum obligati fuerunt, cujuscunque tandem Status, dignitatis et nationis illi sint, etiam Cumani et Philistaei; ultra ordinariam Tricesimam, in usum et necessitatem veteris Militis Confiniarii, Dimidietatem ordinariae Tricesimae, in omnibus Regni partibus, nec non Sclavonia et Croatia pendant: Ejusmodique dimidiatam pensionem Tricesimalem, Tricesimatores sub Juramento ipsorum superinde deponendo, ad Cameram Ungaricam administrare sint obligati (exceptis tamen omnibus praemissis contributionibus Regnorum Sclavoniae et Croatiae, quae non ad Cameram, sed in exolutionem Militum in Confiniis Colapianis Banalibus existentium, per Regnicolas erogentur) non in alium, quam praemissum finem, necessitates nempe et Salarium Veterani Militis Confiniarii erogandum, sub praemisso onere reddendae rationis.

Officiales et Ministri militiae, ad rationem suae Majestatis militem conscribentes atque educentes; qualiter in delectu, conductioneque procedere debeant?

Articulus 10.

§. 2. Ut nimirum Capitanei talium militum conscribendorum, patentes literas suae Majestatis, ipsis assignatas primum et ante omnia, Domino Regni Palatino; deinde Generalibus Regni Capitaneis; in Sclavonia Domino Bano, ac tandem in illis Comitatibus, in quibus nempe delectum habere voluerint praesentare; atque tam in condescensione, quam eductione delecti militis, ab eorundem Comitatuum directione, dependere debeant ac teneantur.

Pro Octavalium Judiciorum continuanda celebratione, Praelati et Assessores in locum defunctorum vel promotorum.

Articulus 14.

Ut autem statis (prout sua Majestas clementer admonet) Octavalia Judicia temporibus, ad Mandata suae Majestatis cursum suum habere possint, tam in Ungaria quam Sclavonia.

Officiolatus et Praefecturae Bellicae in Sclavonia et Croatia juxta Constitutiones conferendae.

Articulus 31.

Officia quoque Capitaneatuum in Regnis Sclavoniae et Croatiae, aliarumque functionum militarium, majora pariter et minora; ut juxta Viennensem Pacificationem, ad nonum et decimum, ac Anni 1608. Art. 11. ante Coronationem; et Anni 1609. Art. 27. Anni 1618. Art. 31. nec non diploma Regium eodem Anno ipsis concessum conferantur; decretum est. *)

De Banali authoritate: Et causis, Bani personam concernentibus.

Articulus 32.

Quo in loco, cum Banalis Authoritas, juxta Art. 11. Anni 1608. ante Coronationem et Anni 1609. Art. 27. Conditionem septimam Diplomatis, ac Anni 1618. Art. 31. et Anni 1630. Art. 25. sit restituta, necdum tamen in effectum deducta; ut eatenus omnis conquerendi materia amputetur, praemissae Regni Constitutiones, in effectum deducantur; statutum est.

§. 1. Hoc expresso; quod si Dominus Banus in aliqua causa interessatus esset, ea in Tabula Regia more solito discuti possit. **)

De negotiis Valachorum, in fundis Regnicolarum Croatiae et Sclavoniae degentium, Commissione instituenda.

Articulus 33.

Porro, quia Valachorum, in fundis praefatorum Regnicolarum Croatiae et Sclavoniae existentium, cum plena jurisdictione restitutio, creberrimis Regni hujus Constitutionibus, praesertim vero Anni 1604. Art. 14., Anni 1608. Art. 9., Anni 1618. Art. 32. et Conditionibus 2. et 7. Diplomatis, ac tandem Anni 1630. Art. 24. nec non, etiam in Generalibus judiciis Festi Beati Lucae Evangelistae, ultimo eorundem judiciorum die, in Libera Regia Civitate Posoniensi, Anno 1628. ex benigna Sacratissimae suae Majestatis annuentia sancita sit et deliberata; peculiarique ejusdem Sacratissimae Majestatis Anno praecitato 1618. Statibus eisdem clementer elargito Diplomate promissa; ut tandem praemissorum omnium hactenus inexecutorum, realem fructum fideles Status et Ordines sese expertos persentiscant; decernitur:

§. 1. Ut tam in eadem Valachorum restitutione effectuanda, quam subsequentibus dictorum Statuum et Ordinum Croatiae et Sclavoniae Regnorum differentiis et difficultatibus tollendis, complanandisque ac imposterum praecavendis; solennis Commissio, juxta Instructionem praemissis Articulis, judiciariae deliberationi, aliisque Patriae Legibus, Diplomatique Regio conformem, ac tam suae

*) Allegatur et urgetur; An. 1659. a. 97.

**) Allegatur et observandus statuitur; An. 1638. a. 32.

Sacratissimae Majestatis, quam infrascriptis: Statuum et Ordinum Dominis Commissariis, sub eodem tenore dandam, in Libera Regia Civitate Varasdiensi instituatur.

§. 2. Pro qua quidem effectuanda finaliterque terminanda Commissione, Praesidem et Collegas sua Majestas nominat; Reverendissimum Dom. Joannem Thelegdy Archi-Episcopum Colocensem, aut eo impedito Reverendissimum Georgium Lippay Episcopum Vesprimiensem, Egregios item Thomam Mikulich, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Personalis Praesentiae in judiciis Locumtenentem et Consiliarios, Casparum Lippay Domini Judicis Curiae Magistrum Protonotarium, ac Petrum Spolarich. Non obstante unius vel alterius absentia: In cujus locum Dominus Praeses alium substituendi habebit authoritatem.

§. 3. Ut autem sua quoque Sacratissima Majestas, suos ea in parte Commissarios, personas utpote non interessatas ordinare; et stante adhuc hac Diaeta, dictae Commissionis terminum denominare dignetur; Status et Ordines supplicant humillime. *)

Circa militem Germanum in Arce et Civitate Varasdiensi constitutum et querelarum Domini Bani per Commissarios fienda complanatione.

Articulus 34.

Et cum praemissam Valachorum restitutionem et resignationem, Militis Germani ex Arce et Civitate Varasdiensi, loco scilicet sedis Judiciariae Comitatus Varasdiensis, juxta Anni 1608. Art. 12. ante Coronationem et Anni 1609. Art. 27. eductio; Universarumque querelarum Illustrissimi Domini Comitis Sigismundi Erdödy, praefatorum Regnorum Croatiae et Sclavoniae Bani, quas contra eundem Militem Germanum, occasione Jurisdictionis suae, in praefatis Arce et Civitate Varasdiensi exposuisset, complanatio consequatur; per eosdem Dominos Commissarios realiter effectuetur et complanetur. **)

Bona Caproncensia juxta Constitutiones Regni, Fisco Regio et jurisdictioni Regni restituenda et per Commissarios applicanda esse.

Articulus 35.

Praeterea cum bona Caproncensia, quae jam per Capitaneum ejusdem loci in praejudicium Regni Ungariae Coronae possiderentur, juxta Art. 43. Anni 1542. Fisco suae Majestatis Sacratissimae Regio applicata; ac juxta Anni 1618. Art. 33. Jurisdictioni oneribusque Regni in Dicis Regiis et Contributionibus solvendis, gratuitisque laboribus praestandis ac Decimis, instar aliorum Regnicolarum, subjecta fuissent; juxta eosdem Articulos ac praesentem Regni Constitutionem, Fisco Regio, Regnique praemissae Jurisdictioni et oneribus applicantur; et Dominis praefatis Commissariis applicari committuntur. ***)

*) Allegatur et urgetur; An. 1638. a. 51. An 1655. a. 66. An. 1715. a. 113. in princ. Ubi complures de hoc negotio allegantur artt. Confer. etiam, An. 1741. a. 51.

**) Urgetur; An. 1638. a. 51. Effectuatio promittitur, An. 1647. a. 54.

***) Allegatur et urgetur; An. 1638. a. 51. Renovatur; An. 1659. a. 100.

Ut Capitanei et Praefecti Confiniorum in Sclavonia et ad Segniam Dominorum terrestrium bona et proventus non occupent: Atque Capitaneus Crisiensis Nobiles colonicali conditioni subjugatos, libertati pristinae restituere debeat.

Articulus 36.

Licet diversis Regni Constitutionibus et novissime etiam praecitato Art. 33. Anni 1618. Ne Capitanei et Praefecti Confiniorum in bona et jurisdictionem Dominorum terrestrium et Liberarum Civitatum, sub amissione officiorum, se intromittere praesumerent, cautum fuisset; contra easdem tamen, iidem Capitanei et Praefecti Confiniorum Sacratissimae suae Majestatis, tam in Confiniis ejusdem Regni Sclavoniae, quam in Portubus maris Adriatici circa Segniam, cum alias, tum etiam non ita dudum praeteritis temporibus, certas tam Ecclesiasticorum, quam secularium Dominorum terrestrium, Liberarumque Civitatum, bonorum et proventuum occupationes et avulsiones perpetrasse, sibique vendicasse commemorantur:

§. 1. Ideo statutum est; ut comperta rei veritate, praedeclarato modo occupata et avulsa, legitimis eorundem Dominis, medio antelatorum Dominorum Commissariorum; prouti etiam unius sessionis Nobiles, in totalibus possessionibus Trem et Szent-Peter in Cherstovecz, ad Praesidium Crisiense commorantes, a Legibus et Jurisdictione Regni per Capitaneum ejusdem loci avulsi, colonicalique conditioni subjugati, in avitam eorundem libertatem restituantur.

De insolentiis et damnificationibus, per Uskokos Magnifici Rudolphi Paradeyser admissis et illatis, satisfactione praestanda: Curandoque ut ab oppressionibus desistere debeant.

Articulus 37.

Gravissima quoque injuriarum et querelarum moles circa depraedationes totius Comitatus Simigiensis, ac non solum in miseram plebem, verum et ipsam Nobilitatem tormentorum genera, per Milites praesidiarios Caproncenses, Szent-Györgyvarienses, Szalakoczienses et Dernienses; vulnerationes, item caedes, verberationes, captivationes, incarcerationes, domorum et Curiarum Nobilium Regni Sclavoniae invasiones et depraedationes ac conflagrationes. Bonorum depopulationes, rerum direptiones, pecorumque abactiones, Colonorum receptiones, Liberarum Civitatum pariter Caproncensis et Crisiensis Jurium et libertatum oppressiones, per eosdem Regni Sclavoniae Confiniorum Officiales et eorum Milites, nec non Magnifici Rudolphi Paradeyser Uskokos Milites, in finibus Provinciae Carnioliae habitantes, illata; Sacratissimae suae Majestati querulose copiosius repraesentata; coram eisdem Dominis Commissariis, in particulari, per quoscunque querulantes, erunt repraesentanda ac per eosdem, cum debita injuriarum satisfactione complananda. *)

---

*) Urgetur; An. 1638. a. 22

De indisciplinatorum militum Paradeyseri in condescensionibus rapiendi licentia praecavenda.

Articulus 38.

Cum autem manifestum sit, praemissos Milites Rudolphi Paradeyser et extra Regnum collocatos esse et ad Confinia Carlostadiensia; ad avertendos hostiles impetus, frequentissime, per Partium illarum Regnicolarum Dominia excurrere, effraenataque militari in condescensionibus et rapinis uti licentia et nec eorundem Capitaneum multum revereri:

§. 1. Quo tantae eorundem exorbitantiae, effraenataque rapiendi licentia praescindatur et praecaveatur; medio eorundem Dominorum Commissariorum, Sacratissima sua Majestas benigne modum adinvenire dignetur, Status et Ordines supplicant.

Ne ob injurias Regnicolis Croatiae et Sclavoniae illatas, suae Majestati querelis molestiae causentur; Capitanei et Officiales Confiniarii Legibus Regni subesse debeant.

Articulus 39.

Et ne deinceps praemissi Regnorum Croatiae et Sclavoniae Regnicolae tantis et tam frequentibus afficiantur injuriis, Sacratissimamque suam Caesaream et Regiam Majestatem tanta earundem congerie molestare cogantur:

§. 1. Supplicant Status et Ordines, Majestati suae Sacratissimae; ut et dictos Capitaneos, sive Officiales Confiniarios, juxta Regni hujus Constitutiones, Legibus Regni subjicere; ac ejusmodi eorundem errores, comperta rei veritate, condigna animadversione juxta Anni 1618. Art. 33. et Anni 1622. Art 49. emendari curare; et modum, quo ejusmodi querelae cessent, adinvenire clementer dignetur. *)

Subreptitia Valachorum privilegia cassantur.

Articulus 40.

Posteaquam Sacratissima sua Caesarea et Regia Majestas benigne sese resolvere dignata est, nunquam eandem illius intentionis fuisse, ut praescripti Valachi in praejudicium juris alieni privilegiis aliquibus donati fuissent: **) Quinimo, ut medio Commissionis, Dominis Terrestribus, pro cujuscunque justa praetensione satisfactum fieret, benignissime intendisse; Eadem proinde eorundem Valachorum Privilegia, qualitercunque et quandocunque, sub quacunque verborum forma, emanata, cassantur et annihilantur. ***)

---

*) Urgetur; An. 1638. a. 22. et 51.

**) Confer; p. 1. t. 10. et seqq.

***) Similiter annihilantur; An. 1659. a. 90. An. 1681. a. 64. Confer. etiam; An. 1715. a. 113.

De Molendino super fluvio Chernacz jam demolito denuo non reaedificando.

Articulus 41.

Ex quo etiam certum in Reverendissimi Domini Episcopi Zagrabiensis territorio, in decursu fluvii Chernacz, praeter scitum et requisitionem ejusdem Episcopi, contra praecitatum Art. 33. Anni 1618. in maximum Episcopalis et aliorum vicinorum territorii detrimentum, quatuor rotarum Molendinum, violenter extructum, casu quodam sit demolitum; ne amplius in tantum dicti Episcopi Zagrabiensis et aliorum vicinorum detrimentum possit reaedificari; decernitur.

Praesidium Berkisevina reaedificandum.

Articulus 42.

Porro, quo commodius opus reaedificationis Praesidii Berkisevina, pro defensione Confiniorum Colapianorum, adeo necessarii, aggredi possit; Majestas sua Sacratissima Anni 1618. Art. 31. Viginti septem millium Tallerorum ex Tricesima Nedeliczensi, clementer deputatam summam, vel ex eadem Tricesima, vel ex aliqua alia certa Contributione, benigne persolvi facere dignetur; Status et Ordines supplicant. *)

De emptione et pulsu Boum, liberis habendis; Salisque Marini et frumenti invectionem absque exactione alicujus pensionis permittendam.

Articulus 43.

Juxta benignam ejusdem Sacratissimae suae Majestatis, sub praesenti Diaeta Statibus et Ordinibus factam resolutionem; Emptio et pulsio Boum, aliorumque quorumvis quaestuum exercitium, per territoria Regnorum Ungariae, Croatiae et Sclavoniae ac per totum Buccari, indigenis eorundem Regnorum Croatiae et Sclavoniae, solitis pensionibus persolutis, libera est et declaratur:

§. 1. Sicuti etiam Salem Marinum in eadem Regna importare; et frumentum ex eisdem auferre, absque ullis pensionibus; quibuslibet indigenis, absque quorumvis Capitaneorum, signanter autem Capitanei terrae Fluminis, ac aliorum etiam impedimentis, liberum sit:

§. 2. Quo in loco interdicta Camerae Styriacae, eatenus in contrarium facta; tolluntur penitus et abolentur. **)

Ut damnum per Rudolphum Paradeyser subditis Comitum a Zrinio illatum restituatur.

Articulus 44.

Caeterum quia vigore praemissorum interdictorum, Rudolphus Paradeyser Baro, ***) Subditorum Comitum Zriniorum Equos, Salem et alias res in valore

*) Urgetur; An. 1638. a. 14. An. 1647. a. 53. Et An. 1659. a. 102.

**) Confirmatur praesens art. An. 1638. a. 54. An. 1659. a. 101. Vid. An. 1715. a. 117.

***) Vide dicta: supra art. 38.

florenorum quingentorum injuste abstulisset et auferri currasset; easdem sua Sacratissima Majestas, juxta benignam superinde factam resolutionem, medio Commissariorum, primo quoque tempore, benigne restitui demandare dignetur.

De executionibus judiciariis in Confiniis non impediendis.

Articulus 48.

Si porro Capitanei, Vice-Capitanei, aliique Officiales Confiniarii, aliquas executiones judiciarias in Confiniis et alibi non admitterent; vel quovis modo impedirent;

§. 1. Decretum est: Ut tales Executiones ex bonis ipsius Capitanei; immobilibus, vel mobilibus, abscissis omnibus juridicis remediis, fieri possint.

§. 2. Quas si ipsi Officiales Confiniorum turbare praesumerent; poenam in Articulis expressam incurrant.

§. 3. Si autem legitimas testium inquisitiones, authentice institutas, contra Art. 67. Anni 1618. quotiescunque non admitterent; toties in centum florenis Ungaricis convincantur.

§. 4. Atque Statutum istud extendatur etiam ad Regna Sclavoniae et Croatiae. *)

De Liberis Regiisque Civitatibus et Oppidis privilegiatis, in libertatibus conservandis. Item de Oppidis Sancti Georgii et Basin.

Articulus 53.

§. 1. Ita etiam in Sclavonia: Ubi ne Capitanei et Praefecti Confiniorum, in bona et jurisdictionem Dominorum terrestrium et Liberarum Civitatum, ejusdem Regni Sclavoniae, sub amissione officiorum, sese intromittant; conclusum est. **)

Commissarii ad revisionem metarum circa Styriam.

Articulus 58.

Circa Styriam et Carnioliam; Reverendis. Dom. Benedictum Vinkovich, Episcopum Quinque-Ecclesiensem; Spectabiles ac Magnificos, Comitem Christophorum Bánffy et Casparem Konszky: Egregios item, Magistrum Petrum Znika, Regni Sclavoniae Protonotarium, Gabrielem Chernkoczy, Joannem Ruchich et Petrum Spolarich.

§. 1. Loco autem illorum, quos medio tempore abesse vel mori contingeret; sua Majestas, vel Dominus Comes Regni Palatinus; in Sclavonia autem Dominus Banus, alios idoneos eligat: Et literas Adjudicatorias, quae hactenus in talibus differentiis confectae essent; sua Majestas per eosdem Dominos Commissarios Executioni demandare dignetur.

---

*) Renovatur; An. 1647. a. 59.

**) Renovatur; An. 1638. a. 19. et 35.

Sententiae judicialiter et legitime latae, non obstantibus contrariis mandatis. vel privata authoritate impeditae; executioni mandandae.

Articulus 65.

Non unam, vel alteram sententiam, intellexerunt Status et Ordines, Judicialiter et legitime latam et pronunciatam, non solum contrariis mandatis, sed et privata authoritate esse impeditam; de quibus decernitur: Ut non obstantibus ejusmodi mandatis, privatorumque impedimentis, primo quoque tempore executioni demandentur; etiam in Regno Croatiae et Sclavoniae. *)

Pro revisione praescriptorum siccorum et minus necessariorum Teloniorum, Commissarii in partibus Sclavoniae et Croatiae nominantur: Et de poena non obtemperantium statuitur.

Articulus 73.

In Sclavonia et Croatia; Magnificus Nicolaus Malekoczy et Egregii Magister Petrus Znyka, Protonotarius ejusdem Regni Sclavoniae, Sigismundus Domjanich. Vice-Comes Comitatus Zagrabiensis, Petrus Spolarith, Thomas Apallenich, Joannes Ruchich et Petrus Rigyanecz.

§. 1. Et decernunt vigore solummodo praesentis statuti (non obstante unius vel alterius absentia) soluta hac Diaeta, accepta a Comitatensibus informatione, ejusmodi Telonia, occulta revisione perlustrare (siquidem secure fieri poterit) alioquin juramento hominum superinde peritorum mediante inquirere; et si minus necessaria, vel autem nimia, vel abusive introducta exactione nociva esse deprehenderint; illa quidem penitus et confestim abolere, haec autem ad tolerabilem exactionem reducere possint et valeant.

§. 2. Quorum quidem Commissariorum ordinationi et determinationi, quicunque non obtemperaverit; verum in vilipendium ejusdem in exactione Telonii ejusmodi perseverare deprehensus fuerit; comperta rei veritate, judicialiter in amissione possessionis, vel portionis possessionariae, in qua tale Telonium erat erectum, convincatur: Ejusmodique possessio, vel portio possessionaria, ad Fiscum Regium devolvantur, communi aestimatione mediante redimendae.

§. 3. Ut autem deinceps omnes ejusmodi vexationes Teloniales condescendant, suae Majestati supplicant humillime; ne Telonia quibuscunque conferre velit, absque singulari et sufficienti Comitatus informatione et commendatione. **)

---

*) Renovatur; An. 1638. a. 27. An. 1655. a. 53. Allegatur; An. 1659. a. 106. et 119.
**) Renovatur; An. 1638. a. 58. An. 1647. a. 91.

FERDINANDI III. IMPER & REGIS DECRETUM I. ANNI 1638. ARTIC. POST CORON.

Diploma super conditionibus, per suam Majestatem Statibus et Ordinibus, tempore felicis inaugurationis et Coronationis suae concessum; Diaetae Constitutionibus inseritur.

Articulus 1.

§. 5. *Quarta Conditio.* Confiniorum vero Praefecturas, Capitaneatus et alia Officia, tam in hoc, quam aliis Regnis annexis; Serenitas sua, juxta Art. 11. ante Coronationem An. 1608. editum conferet.

§. 8. *Septima Conditio.* De Banatu etiam, quae in eodem Art. 11. Anni 1608. continentur; similiter et de Valachis, Annor. 1604. Art. 14., Anni 1608. Art. 9. et Anni 1613. Art. 39. effectuabit.

Mediam Tricesimam in Croatia et Sclavonia provenientem, Tricesimator Nedelicensis, percipit: Is ordinario Regni Sclavoniae Exactori consignet, in usum exolutionis Militis Colapiani erogandam. Tricesimatores Salario consueto contenti sint.

Articulus 7.

In Regnis vero Croatiae et Sclavoniae, ab eisdem Quaestoribus proveniens dimidietatis praetactae pensio, per Sacratissimae suae Majestatis Supremum Tricesimae Nedelicensis Exactorum, hactenus exacta; ac non tantum in duos praescriptos Annos, sed deinceps etiam exigenda, juxta Angariales rationes a Tricesimatoribus illorum Regnorum accipiendas, ordinario Regni Sclavoniae Exactori consignari; per dictum vero Regni Sclavoniae Exactorem, non alio, quam in exolutionem Militis Colapiani (quem iidem Croatiae et Sclavoniae Regnorum Status et Ordines, cum gravamine Subditorum suorum annuatim, usque ad feliciora tempora, exolvere consueverunt) converti debebit. *)

§. 1. Tricesimatores vero, cum et alios exigua ibidem eadem proveniat pensio; Tricesimali duntaxat Sacratissimae suae Majestatis salario, pro hoc quoque labore sint contenti.

Restantiae pecuniariae contributionis pro Conservatoribus et Custodibus Coronae per Cameram Ungaricam exigendae. Ad rationem eorundem nova Contributionis impositio decernitur. Perceptoratus officio fungetur Egregius Andreas Kerekes.

Articulus 8.

§. 2. Ita etiam in Regno Sclavoniae, juxta consuetudinem ipsorum, dimidium solvatur.

---

*) Urgetur; An. 1647. a. 34. An. 1659. a. 86. Confirmatur; An. 1649. a. 2. et 4.

Super Praesidii Berkissevina reaedificatione: Et Militis Banalis Confiniorum Colapianorum exolutione.

Articulus 14.

Item cum in reaedificatione Praesidii Berkissevina, veluti in ipsis Colapianorum Confiniorum visceribus situati; ac cuivis hostili irruptioni vel maxime obvii, plurimum momenti positum sit; quo tantae necessitati eo citius posset provideri, cum et Sacratissima sua Majestas summam illam viginti septem millium Tallerorum, Art. 42. Anni 1635. denominatam (renovatis ad Tricesimatorem Nedelicensem Mandatis) ex eadem Tricesima exsolvendam esse benigne annuerit: Supplicant Status et Ordines; ut statuto per eandem Sacratissimam suam Majestatem exolutionis modo et ordine (aliis etiam deputationibus interea suspensis) eadem summa exinde depromatur.

§. 1. Banalis etiam Militis, in Confiniis Colapianis existentis, juxta benignam jam factam resolutionem, annualis exolutionis modum et rationem, suam Majestatem Sacratissimam clementer adinventuram humiliter confidunt iidem Status et Ordines. *)

Pariter etiam Officiorum et Praefecturarum militarium Regni Sclavoniae collationis conditiones observandae et effectuandae.

Articulus 18.

Quo in loco, cum eaedem Conditiones, ratione collationis Majorum, praesertim Militarium Praefecturarum in Regnis Croatiae et Sclavoniae, manserint ineffectuatae; ut deinceps ibidem etiam eatenus querulandi amputetur occasio, praemissae Constitutiones in effectum deducantur; statutum est.

De militum Caproncensium et aliorum, contra Incolas Comitatus Simigiensis, injurias et insolentias exercentium temeritate coercenda; Uti et contra Crisiensem Capitaneum Nobilitati Sclavoniae injurias inferentem; Militis item Carolostadiensis et Capitanei Segniensis exorbitantias, juxta Articulos qualiter procedendum?

Articulus 22.

Quia etiam injuriarum et querelarum moles circa depraedationes Comitatus Simigiensis, per Milites Capronceuses, Dernenses et Szent-Györgyvárienses, Capitaneis, Capronceusi et Sancti Georgii subjectos, necdum cessasset; Uti etiam per Capitaneum Crisiensem, Nobilitati in Regno Sclavoniae, antiquitus illatae, novis ac sub ipso etiam decursu Commissionis, vigore Constitutionum Anni 1635. institutae, in praesentia deputatorum Dominorum Commissariorum perpetratis, accumulatae; Pari etiam ratione per Carlostadienses Milites et Capitaneum Segni-

*) Urgetur; An. 1659. a. 102.

ensem, circa Mare Adriaticum perpetratae, nunc quoque vigerent; occasione quarum, declaratum in Art. 36., 37. et 39. Anni 1635. processum servandum esse decernunt Status et Ordines.

§. 1. Verum cum praemissorum Articulorum animadversionem, signanter autem Articuli citati 39. Anni 1635. ac in eodem citatorum, Anni 1618. Art. 33. et Anni 1622. Art. 49. Memoratus Capitaneus Crisiensis experire debuisset; superinde iterato factam declarationem, Majestas sua Sacratissima jam tandem exequi dignetur, Status et Ordines supplicant.

Super Palatinali et Banali authoritate Articuli Regni observandi et effectuandi.

Articulus 32.

Quemadmodum Sacra sua Majestas, ratione observationis effectuationisque Conditionis septimae; item Articulorum Pacificationis Viennensis, ad 3. et 11. ac ante Coronationem Anni 1608. Art. 11. Anni 1613. Art. 7. Ferdinandi Regis Anni 1555. Art. 1. circa finem, pro Palatinali; et Banali authoritatibus praecitati Art. 11. An. 1608. ante Coronationem, An. 1609. Art. 27. ac Anni 1635. Art. 32. aliorumque in eodem contentorum, sese perbenigne resolvere dignata est; ita etiam Status et Ordines, tam Conditionem, quam Articulos effectuandos observandosque decernunt. *)

Libertates et privilegia Liberarum Civitatum; articulique superinde editi observandi. Per inconsuetas vectigalium et pensionum exactiones a Tricesimatoribus non angariandae. In libertate educilli non impediendae: Neque Bona in medio Civitatum existentia ad Fiscum Regium devolvi.

Articulus 35.

Super libertatibus, privilegiis, immunitatibus, jurisdictionibus et consuetudinibus Liberarum Regiarum ac Montanarum Civitatum, tam in hoc Ungariae, quam Sclavoniae Regnis existentium, juxta Conditionem Nonam realiter observandis; renovantur Art. Annorum 1618. Art. 27. An. 1625. Art. 43. An. 1630. Art. 21. et 28. et Anni 1635. Art. 53.

Commissio instituenda et Commissarii nominantur ratione finium et terminorum ad Mare Adriaticum, locorumque adjacentium. Nec non Civitas Segniensis per Regales ad Diaetam vocanda.

Articulus 42.

Ne fines terminique Sac. Reg. Ungariae Coronae circa Mare Adriaticum avellantur, vel alienentur, sed potius juxta Articulos Anni 1608. ante Coronationem

*) Allegatur; An. 1647. a. 51. Renovatur; An. 1681. a. 62. Huc faciunt novissime; An. 1741. a. 9. et 47.

et Anni 1630. Art. 23. Conditionemque 11. conserventur; Et, si quid in contrarium fuisset, mediante Commissione superinde instituenda, ut complanetur; clementer curatura est sua Majestas.

§. 1. Ubi etiam de Tricesima Civitatis Segniensis: De praetensione familiae Comitum de Frangepanibus de Terzath: Ratione item Arcium Starigrad et Jablanacz, aliisque quibusvis ea in parte ortis difficultatibus, tractari terminarique debebit.

§. 2. Ad quam Commissionem peragendam, ex parte Statuum et Ordinum Regni nominantur Commissarii; Magnifici Domini Casparus Konski: Et Petrus Keglevich: Reverendus Dominus Joannes Somogyi, Abbas de Szekszárd: Egregii Georgius Petrichevich, aut Sigismundus Domianich.

§. 3. Civitas Porro Segniensis Regalibus literis ad Diaetam invitabitur. *)

Ecclesiastici et Nobiles in Confiniis domos habentes non aggravandi. Capitanei pensiones non exigant: Neque praesidiarios ad privata servitia adigant.

Articulus 44.

Quo in loco, ne Personae Ecclesiasticae et Nobiles, in confiniis domos habentes, condescensionibus militum aggraventur; ad Art. 46. et de executionibus judiciariis in Confiniis non impediendis; ad Art. 48. Ac ne Capitanei insolitas pensiones exigant; ad Art. 62. Anni ejusdem 1635. referunt sese Status et Ordines:

§. 1. Contravenientes, eo, quo supra, processu, conveniri posse; ac ne Capitanei locorum subjectos sibi milites propriis servitiis quovis sub praetextu (cum exinde manifestum Excubiarum advertatur detrimentum) accommodare praesumant; decernentes.

Ne discordiae et contentiones inter Confiniorum praesidiarios interveniant; jurisdictioni locorum Capitanei subsint et ab eo dependentiam habeant.

Articulus 45.

Ad tollenda incommoda, quae ex periculosis contentionibus et injuriis, inter milites Germanos, in Confiniis existentes et alios similiter nativos Confiniarios intervenire nonnunquam consueverunt: Status et Ordines decernunt; ut Praesidiarii Germani, in Confiniis, juxta benignam etiam suae Majestatis resolutionem, nec non Art. 24. Anni 1625. circa finem, Capitaneis Ungaris subsint:

§. 1. Juramentum pro defensione Arcis et fidelitatis suae Majestatis, instar aliorum deponant:

§. 2. Ac pro eorundem demeritis etiam judicentur ac puniantur:

§. 3. In accipiendisque ordinantiis a Capitaneo loci dependentiam habeant.

*) Urgetur et renovatur; An. 1647. art. 50. An. 1649. art. 32. Libertates autem Segniensium confirmantur; An. 1715. art. 128. Et novissime; A . 1741. a. 56.

Commissio de restitutione Valachorum, juxta Articulos in novissima Soproniensi Diaeta constitutos reassumenda: et ut Capitanei ea quae jam constituta et ordinata sunt, exacte observent.

Articulus 51.

§. 1. Interim vero omnia, quae in dicta inchoata Commissione, circa bona Caproncensia, restitutionem Territoriorum et fundorum per Capitaneos Confiniorum occupatorum et jurisdictionem Dominorum Terrestrium, ac Liberarum Civitatum, constituta et ordinata sunt; quam diligentissime observentur et effectuentur. *)

Pro querelarum privatorum Regnicolarum in partibus Sclavoniae et Croatiae revisione et compositione; Commissarii nominantur.

Articulus 52.

Quantum vero ad alias privatorum querelas attinet; ut quae adhuc determinata non sunt, determinentur: Quae autem determinata; effectuentur.

§. 1. Cujus quidem Commissionis instituendae et ad eandem peragendam, ex parte Regnicolarum nominantur Commissarii: Reverendissimus Dominus Georgius Draskovith, Episcopus Jauriensis pro Praeside ejusdem Commissionis, vel eodem legitime impedito; Reverendus Dominus Georgius Jakusith, Episcopus Veszprimiensis: Spectabilis ac Magnificus Dominus Comes Joannes Draskovith, Egregii item Magister Petrus Znika, Regni Sclavoniae Protonotarius: et Petrus Spolarich.

Valachorum ex Confiniis Turcicis absque scitu Bani et Regnicolarum, per Capitaneos in ditiones locorum suae Majestatis limitaneorum inductio; non concedenda.

Articulus 53.

Cautum fuerat per Capitaneos, institutae praenominatae Commissionis Dominorum Commissariorum, ne pluralitas Valachorum, per eductionem eorundem ex Turcia, in Confiniis suae Majestatis, praeter scitum Domini Comitis Bani et Regnicolarum, succresceret:

§. 1. Quorum mandato, cum contraventum sit per Capitaneos; publico etiam Statuto, eadem ulterior deinceps eductio, praeter consensum Regnicolarum fienda; sub poena in contravenientes, legibus Regni sancita prohibetur. **)

---

*) Allegatur et urgetur; An. 1647. a. 46. An. 1659. a. 93. An. 1715. a. 113.

**) Renovatur et urgetur; An. 1647. a. 47. An. 1681. a. 62.

Pulsio Boum et aliarum quaesturarum exercitium per Ungariam, Croatiam et Sclavoniam ac Portum Buccari, persolutis vectigalibus debitis, non impedienda.

Articulus 54.

Pulsio Boum, aliorumque quorumvis quaestum exercentium per Territoria Ungariae, Croatiae et Sclavoniae ac per portum Buccari, Indigenarum eorundem Regnorum solitis pensionibus persolutis, juxta Art. 43. novissimae Soproniensis Diaetae, *) et desuper emanata mandata; sunt libera.

§. 1. Et, si quid in contrarium actum est; ut benigne sua Majestas mandet denuo ut illud tollatur et imposterum amplius non fiat, damnificatis vero justitia administretur; statutum est. **)

FERDINANDI III. IMPER. & REGIS DECRETUM II. ANNI 1647. ARTIC. POST CORON.

Comes Joannes Draskovith de Trakostyan etc. in Regni Palatinum eligitur.

Articulus 1.

Singularis Clementia Sacratissimae Caesarea Regiaeque Majestatis in hoc Regnum Ungariae, ex eo quoque elucescit; quod sua Sacratissima Majestas, de Palatino Regni, in locum Illustrissimi quondam Domini Comitis Nicolai Eszterházy de Galantha, alias Equitis Aurei Velleris et Regni Palatini, felicis reminiscentiae, surrogando, sublimandoque clementer intendere; Votisque fidelium suorum Regnicolarum benigne annuere; ex Illustrissimisque familiis, Viros genere et Virtute Nobilissimos, ex quorum numero delectus haberetur, in conspectum fidelium suorum Regnicolarum proponere, producereque gratiose dignata sit.

§. 1. Occurrit itaque ex delectorum Illustrissimorum Virorum numero, ante alios Illustrissimus Dominus Comes Joannes Draskovith de Trakostyan, alias Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, qui tum ob natalitiorum suorum splendorem, tum ob praeclaras corporis animique dotes, raramque fidelitatem et benemerita erga suam Majestatem Caesaream et Regiam, totamque ejusdem Augustissimam Domum, Regnumque hoc Ungariae, ad supremum Regni, post suam Sacratissimam Caesaream Regiamque Majestatem, Palatinalis dignitatis honorem, ea authoritate et Jurisdictione, quam juramentum ejus, Regnique Statuta ac Conditio quoque Septima felicis Inaugurationis Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis requirit, per Status et Ordines sublimari meruit.

De Veteranorum militum Confiniariorum defectibus per Generales Capitaneos supplendis; et ad debitum numerum reducendis.

Articulus 24.

Quoniam vero animadvertunt universi Regnicolae, statum Confiniorum (in quo-

---

*) Scilicet, An. 1625. ad quem locum, plura.

**) Confirmatur cum limitatione; An. 1715. a. 117. An. 1741. a. 55.

rum permansione salus Regni consistit) eo redactum esse; ut nisi opportune illis succuratur, juvandique salutaria adhibeantur remedia; mox penitus ruinata, militibusque destituta, ultimum minentur Regno excidium.

§. 1. Eapropter Status et Ordines, pro eorundem Confiniorum subsidio, ita statuendum esse censuerunt; ut Generales Capitanei Confiniorum, diligenter et quo celerius defectum veteranorum Militum, tam Equitum, quam vero Ungarorum peditum, supplere et ad numerum Anni 1609. in Regestis comprehensum, absque defectu reducere debeant et teneantur.

De medietate ordinariae Tricesimae per suam Majestatem usque ad futura Comitia, pro exolutione Militum Confiniariorum clementer oblata.

Articulus 29.

Quia vero Sacra Caesarea Regiaque Majestas, pro pio paternoque affectu suo erga permansionem et conservationem istius Regni Ungariae et Partium eidem annexarum, ordinariae quoque Tricesimae integram mediam partem, usque ad futura Comitia, pro exolutione militum Confiniariorum clementer obtulit; ingentes, humillimasque habent gratias suae Sacratissimae Majestati Status et Ordines.

§. 1. Quam quidem ordinariae Tricesimae mediam partem, universi Tricesimatores, ad manus Generalis Administratoris, singulis Angariis, immediate administrare; ac Regestorum quoque suorum Angarialium paria eidem Generali Administratori fideliter assignare sint adstricti. *)

Contributio pro Conservatione Coronae ex parte Regni Croatiae et Sclavoniae; integra medietas Ordinariae Tricesimae in exolutionem Militis Banalis; prout etiam reliquae contributiones in conservationem peditum Colapianorum convertendae.

Articulus 34.

Regnum Croatiae et Sclavoniae siquidem gravi admodum peditum Colapianorum, ad rationem illius Regni jam dudum conductorum intertentione oneratum esset; Ad conservationem proinde Sacrae Regni Coronae, pro singulis futuris Trienniis, singulos duntaxat quingentos florenos, juxta cursum monetae hic observatum, manibus Generalis Regni Administratoris in futurum contribuet, tamdiu et eousque; donec Status quoque Ungariae, in conservationem ejusdem, modo praemisso contribuerint. **)

§. 1. Ordinariae vero suae Majestatis Tricesimae directa Medietas, exinde proveniens; in exolutionem Militis Banalis convertatur.

§. 2. Reliqua sua subsidia et contributiones universas; juxta Art. 9. An. 1596. et Art. 14. An. 1608. post Coronationem et auctionem Tricesimarum,

---

*) Allegatur; An. 1681. a. 44.

**) Confirmatur; An. 1649. a. 96. An. 1655. a. 15. An. 1662. a. 50. An. 1681. a. 36.

juxta Art. 7. Anni 1638. in usum et conservationem sui, memoratorumque peditum Colapianorum exolutionem; idem Regnum per exactorem suum convertat.

§. 3. Perceptores vero et Exactores ejusmodi proventuum ipsius Regni; juxta Art. 20. Anni 1554. et Art. 65. Anni 1622. ad rationem et rectificationem teneantur et sint obligati.

De nonnullorum Confiniariorum, praesertim Veszprimiensium, Szentgyörgyiensium, Gyelakocziensium et aliorum, in dedititios subditos insolentiis, eorumque poena.

Articulus 42.

Ut nimia nonnullorum Confiniariorum et praesertim Veszprimiensium, Szent-Györgyiensium, Gyelakocziensium, Derniensium, Caproncensium, Crisiensium, Legradiensium et aliorum, in omnibus Regni partibus licentia, in dedititiis Regnicolarum Subditis, more Turcico tondendis et divendendis, diversoque rapinarum, furtorum et aliarum injuriarum genere affligendis, refraenetur:

§. 1. Statuunt Regnicolae; ut tales Grassatores et Confiniarii, per Capitaneos locorum, vel Dominos ipsorum Terrestres, ad requisitionem damnificatorum Subditorum, vel Dominorum eorundem Terrestrium, confestim incaptivari; et in eosdem poena condigna, sine dilatione animadvertere; alioquin hujusmodi Domini Terrestres et Capitanei, veluti Fautores et Receptatores ejusmodi malefactorum, in Jus Conveniri; qui vero Capitanei commode in Jus conveniri non possent, ii per Comitatus superinde suae Majestati deferri et officiis ipsorum privari debeant atque possint. *)

De Commissione pro restitutione Valachorum in Confiniis Regni Sclavoniae et Croatiae degentium, instituenda; ac aliarum quoque injuriarum et difficultatum Regnicolarum complanatione.

Articulus 46.

Ad Valachorum porro, in Confiniis Regni Sclavoniae et Croatiae degentium restitutionem, eorumque omnium, quae in Commissione Varasdinensi, Anno 1635. determinata, necdum tamen effectuata essent, et aliorum determinandorum realem atque finalem effectuationem; juxta Art. 51. Anni 1638. et tenorem priorum Regiorum Diplomatum et modernam quoque clementem suae Majestatis resolutionem; pro festo Beati Martini Confessoris et Episcopi, proxime futuro, in Libera Civitate Varasdiensi ordinata est per suam Majestatem Commissio, ac ex parte suae Majestatis certi Domini Commissarii denominati cum plena potestate et mandatis, ad id benigne concedendis; ut ipsi cum reliquis infrascriptis, ex parte Regni Commissariis, omnia praemissa, juxta tenorem praescriptorum Diplomatum et Articulorum Diaetalium executioni demandare, vel certi aliquid,

*) Allegatur; An. 1649. a. 82. Renovatur et extenditur; An. 1659. a. 15.

secundum modos in gravaminibus Regni propositos, instituere ac effectuare; excessus contra determinationem ejusdem commissionis subsecutos corrigere et in futurum severe cohibere; in contravenientes rigorose animadvertere et alias quoque novas Regnicolarum, ac Liberarum Crisiensis et Caproncensis Civitatum injurias et difficultates complanare debeant, atque possint.

§. 1. Quem in finem, Status et Ordines ex parte sua Spectabiles et Magnificos Dominos, Comitem Nicolaum a Zrinio: et Thomam Mikulich, Personalem Praesentiam: Generosos item, ac Egregios, Casparem Orechoczy, alias Vice-Banum; et Magistrum Joannem Szakmardy, Protonotarium ejusdem Regni et alterum Joannem Ruchich, Vice-Comitem Comitatus Zagrabiensis; non obstante unius vel alterius absentia, pro Commissariis denominant.

§. 2. Interim vero, juxta eundem Art. 51. Anni praescripti 1638. observanda; diligentissime observentur:

§. 3. Et Bona quoque Regnicolarum, post annotatam Varasdiensem Commissionem a Confiniariis occupata, per Dominos illorum Confiniorum Generales, etiam non expectata ulteriori Commissione, ad mandata suae Majestatis jam benigne oblata, sine dilatione restituantur. *)

Ulterior Valachorum in Confinia Regni Sclavoniae inductio non concedenda.

Articulus 47.

De ulteriori Valachorum in Confinia Regni Sclavoniae non inductione; renovatur Art. 53. Anni 1638.

§. 1. Contravenientes gravi poena mulctentur. **)

Bona Caproncensia Jurisdictioni Regni subjaceant; medietatemque Dicae et alias Contributiones Regni solvant.

Articulus 48.

Juxta benignam suae Majestatis resolutionem et Art. 33. Anni 1618. et Art. 35. An. 1635. statuitur; ut Bona, subditique et Coloni Caproncenses Jurisdictioni Regni subjacere, medietatemque Dicae et alias Contributiones Regni, in medium Regnicolarum imposterum administrare; atque hoc ipsum, annotati Domini Commissarii effectuare teneantur et possint.

Educillum per nonnullos Confiniorum Sclavoniae Capitaneos introductum tollitur.

Articulus 49.

Educillum illud praejudiciosum, quod nonnulli Confiniorum Sclavoniae Capitanei et potissimum Ivanicenses, de vinis ex Styria vel aliunde inductis erexissent; benignis quoque suae Majestatis mandatis accedentibus, tollitur. ***)

---

*) Allegatur et urgetur; An. 1649. a. 30. An. 1655. a. 66. et 67.

**) Derogatur huic articulo; An. 1681. a. 74.

***) Confirmatur; An. 1681. a. 74.

Commissio ratione finium et terminorum ad Mare Adriaticum reassumatur. Civitas Segniensis libere ad Comitia veniat; et in Capitaneum Segniensem, pro oppressione ejusdem Civitatis, sua Majestas graviter animadverti facere dignetur.

Articulus 50.

Ad Tricesimas Regias et Regni, in partibus quoque Maritimis et Croaticis renovandas; metasque ibidem cum Vicinis Provinciis rectificandas; ac difficultates quoque Familiae Frangepanicae complanandas, ordinatam antea Commissionem reassumi; ac pro ea certum locum et terminum praefinire; et ut Civitas quoque Segniensis secure ac libere ad Comitia venire possit, *) sua Majestas, juxta Art. 42. Anni 1638. et clementem suam modernam oblationem benigne curabit:

§. 1. Et in Dominum quoque Capitaneum Segniensem, pro oppressione ejusdem Civitatis Segniensis, graviter animadvertere dignabitur. **)

De Bano Croatiae declarando ac installando, solutioneque eidem et Banderio suo providenda.

Articulus 51.

Cum Regnum Sclavoniae et Croatiae in Juridicis, pariter ac Bellicis, legitima sua directione carere non possit, necessarium proinde censent Regnicolae; ut sua Majestas juxta Art. 28. Anni 1609. et Art. 32. Anni 1638. et clementem quoque suam oblationem; Banum primo quoque tempore declarandum in Officium introduci benigne faciat:

§. 1. Eidemque et Banderio suo Banali de Solutione, in quantum ex medietate ordinariae Tricesimae, Regno resignatae, fieri non poterit; juxta eosdem Articulos, ulterius clementer providere dignabitur.

Valachi Sombergenses (Žumbergenses) ad solutionem tam Regiae, quam Regni Tricesimae compellantur.

Articulus 52.

Valachi Sombergenses, qui sub praetextu exemptionis, in Styria obtentae, a solutione Tricesimae hucusque sese subtraxissent; non obstante hujusmodi exemptione, ad solutionem tam Regiae, quam Regni Tricesimae, ubique sub Corona Regni libere per Tricesimatores compelli possint.

Praesidium Berkisevina reaedificandum.

Articulus 53.

Pro formalis alicujus Praesidii in Berkisevina et Confiniis Colapianis aedificatione; Art 31. Anni 1618. et Art. 42. Anni 1635. renovantur et realiter effectuentur: Super quo etiam sua Majestas benigna mandata clementer obtulit.

---

*) Huc facit; An. 1715. a. 128. An. 1741. a. 65.

**) Renovatur; An. 1649. a. 32. An. 1659. a. 96.

De eductione Militis Germani ex Arce Varasdiensi, per Commissionem effectuanda.

Articulus 54.

Articulum 34. Anni 1635. de eductione Militis Germani ex Arce Varasdiensi, per Commissionem jam admissam (ordinato certo alio loco, pro Annona et Munitionibus necessario) sua Majestas effectuari, ac interim omnes illorum Militum excessus cohiberi et coerceri clementer curabit.

Coloni ultra-Colapiani in Regno Croatiae existentes, tam gratuitos Regni labores, quam Contributionem aliquam in medium Regnicolarum praestent.

Articulus 55.

Pro communi Confiniorum Regni conservatione, necessarium omnino censent et decernunt Regnicolae; ut Coloni quoque ultra-Colapiani in Regno Croatiae existentes, in commune Regni onus concurrere et tam gratuitos Regni labores, quam Contributionem aliquam, juxta moderatam illius Regni limitationem, in medium Regnicolarum administrare; et domini quoque ipsorum terrestres eosdem ad id, intuitu boni publici, compellere debeant ac teneantur.

§. 1. Contravenientes vero per Vadiationes et alios modos et vias, in illo Regno statuendos, sine omni litis processu compelli possint.

De Jure et Justitia ex parte Confiniariorum in Regno Sclavoniae administranda.

Articulus 56.

De Jure et Justitia, ex parte Confiniariorum et Praesidiariorum in Regno Sclavoniae, administranda statuitur; ut condita superinde Decreta Commissionis Varasdiensis, in Anno Domini 1635. et signanter §. Circa excessus vero, etc. ac §. De Jurisdictione vero Militum Praesidiariorum, etc. realiter observentur et in effectum deducantur;

§. 1. Ac in gravioribus quidem Regnicolarum acquisitionibus, contra hujusmodi Confiniarios movendis, semper Vice-Comes cum suis Juratis; in minoribus vero Judex Nobilium cum Vice-Judice Nobilium, per Dominos Generales, Supremos, nec non Vice-Capitaneos et alios Judices Confiniarios, ac militares, in judicando, juxta leges Patriae, pro Assessoribus adhiberi debeant ac interesse possint.

Pro administratione Juris et Justitiae in Maritimis partibus Judices ordinantur. Nobiles et Ecclesiastici iisdem Regni Juribus fruantur. Capitulum porro Segniense: liberam procedendi habeat facultatem.

Articulus 57.

Pro legitima Jurisdictione Regni et Sacrae Coronae Jurisque Patrii in Maritimis quoque partibus conservatione, statuitur ac decernitur; ut unus Vice-Comes

et alter Judex Nobilium, cum uno vel altero Jurato, pro Jure et Justitia ibidem administranda; per Status et Ordines illius Regni, illuc ordinari ac deputari; iidemque in officiis ipsos concernentibus more et ordine in aliis Regni partibus observato, ibidem etiam, ubique in territoriis quorumvis, legitime procedere, ac judicia sua, ubi necessarium fuerit, in Sedem Judiciariam Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis jam unitam, pro maturiori discussione referre et reportare, ac tandem legitimae quoque Executioni demandare:

§. 1. Et insuper Nobiles et Ecclesiastici Viri, in illis partibus commorantes; adinstar aliorum Regni Nobilium et Ecclesiasticorum, sicuti iisdem praerogativis ac libertatibus, ita etiam iisdem Juribus Regni uti, frui ac subesse debeant atque possint. *)

§. 2. Capitulum quoque Segniense, adinstar aliorum Regni Capitulorum, liberam procedendi et expediendi, in suo processu habeat facultatem. **)

De Praefecturis vero et Officiis Confiniorum Sclavonicorum conferendis; Articuli superinde conditi observandi: Aequalisque Indigenarum cum Provincialibus ratio habenda.

Articulus 63.

De praefecturis vero et Officiis Confiniorum Sclavonicorum et Croaticorum conferendis; renovantur Articuli superinde conditi:

§. 1. Et ne in uno eodemque Praesidio tam Supremus, quam Vice-Capitaneus extraneus ibidem praeficiatur; sed realis et aequalis indigenarum cum Provincialibus suae Majestatis ratio in collatione ejusmodi officiorum servetur; Status et Ordines iterato instant et dignum judicant. ***)

De Militis extranei in Regni Confiniis permissione; Militis autem nativi ex Confiniis extra Regnum non eductione.

Articulus 65.

De extraneo Milite in Confiniis collocato; intuitu modernae necessitatis referunt se Status et Ordines ad Art. 24. Anni 1625. Salva nihilominus permanente 13. Conditione Diplomatis.

§. 1. Hoc addito; ne Capitanei aliique Officiales et Milites Confiniarii nativi ex Confiniis extra Regnum educantur. †)

---

*) Huc facit; An. 1741. a. 52.

**) Confirmatur haec Capituli facultas; An. 1741. a. 56. §. fin.

***) Observari jubetur; An. 1659. a. 97.

†) Allegatur; An. 1659. a. 73.

De siccis et minus necessariis Teloniis abolendis: Judaeis ab arendatione Teloniorum amovendis: Et in Telonio Ovariensi, a singulis coemptis Animalibus, duobus grossis Germanicis non exigendis.

Articulus 91.

§. 6. Ad Regnum vero Sclavoniae, pro Teloniis ejusmodi abolendis, juxta eosdem Articulos deputantur; Magnificus Dominus Thomas Mikulich, Personalis Praesentia; Magister Joannes Szakmardy: et alter Joannes Ruchich: ac Petrus Rigianecz.

Constitutiones circa celebrationem Judiciorum Octavalium, statis temporibus locisque consuetis; observandae.

Articulus 103.

§. 3. In Regno quoque Sclavoniae non solum Judicia Octavalia Majora sive Generalia, pro universis causis ibidem levari solitis; juxta eundem Articulum 14. Anni 1635. et Art. 7. Constitutionum Posoniensium, Anni 1572. et Art. 3. Anni 1575. sed etiam Brevia Brevium pro factis imposterum patrandis et aliis ejusmodi Judicia concernentibus negotiis; juxta praecitatum Art. 70. Anni 1609. et certum ejusdem Regni Privilegium; statis suis temporibus, cum consensu suae Majestatis celebrari debeant atque possint.

Querelae item contra Dominum Episcopum Jauriensem per Dominos Archi-Episcopum Strigoniensem et Judicem Curiae Regiae, adhibitis aliis quoque Judicibus; peremptorie revideantur.

Articulus 113.

Quoniam contra Reverendissimum Dominum Georgium Draskovith, Episcopum Jauriensem, graves admodum per Capitulum et Comitatus loci ejusdem et Castriferrei, multasque Nobiles personas, nec non Oppida et Villas Episcopatui ejusdem subjectas et in gravaminibus Diaetalibus specificatas, Statibus et Ordinibus Regni essent porrectae querelae; cujus excessus, ut ad exemplum aliorum reprimantur, contenti redduntur Status et Ordinis Regni; ut, juxta benignam suae Majestatis Sacratissimae resolutionem, causa eadem, ad instantiam injuriatorum, in termino post Diaetam praefigendo, per Illustrissimos Dominos Archi-Episcopum Strigoniensem et Comitem Judicem Curiae Regiae, adhibitis Ecclesiasticis Personis, nec non Judicibus et Tabulae Regiae Assessoribus (qui ad manus haberi poterint) peremptorie Judicialiter revideatur et reali etiam executioni demandetur.

De Justitiae administratione ratione decimarum districtus Metlike, ad Capitulum Ecclesiae Zagrabiensis antiquitus spectantium.

Articulus 119.

Cum Venerabile Capitulum Ecclesiae Zagrabiensis pro decimis districtus Metlike et locorum eidem adjacentium, ad idem Capitulum antiquitus spectantibus, sed per Commendatorem de Chernomell, Domus Theuthonicae Ordinis Cruciferorum occupatis et usurpatis et postmodum per Delegatos Sedis Apostolicae sibi readjudicatis ac nihilominus contra adjudicationem ejusmodi detentis, Justitiam postulet:

§. 1. Sua proinde Majestas: administrationem Justitiae eidem Capitulo per Justitiarios earundem partium cum debita executione demandare, juxta clementem suam oblationem dignabitur; suadente etiam Art. 13. Anni 1554. *)

FERDINANDI III. IMPER & REGIS DECRETUM III. ANNI 1649. ARTIC. POST CORON.

Regnum Croatiae et Sclavoniae intertentionem militum Colapianorum continuabit.

Articulus 4.

Regnum porro Croatiae et Sclavoniae intertentionem Militum Colapianorum circiter quingentorum, circa ripam fluvii Colapis, usque ad feliciora tempora, pro possibilitate sua continuabit:

§. 1. Et subsidia sua Contributionesque et auctionem Tricesimae in illo Regno provenientem, juxta Artic. 7. Anni 1638. per Exactorem suum in solutionem eorundem convertet et super hujusmodi proventibus ab Exactore et aliis perceptoribus eorundem juxta Art. 65. Anni 1622. rationem et rectificationem requiret:

§. 2. Salva tamen integra ordinaria suae Majestatis Tricesima, abinde quoque ad Cameram administranda; remanente. **)

Instructiones Capitaneorum Legibus Regni conformandae; et in Consilio Bellico duo Consiliarii Ungari adhibendi.

Articulus 8.

Decernitur praeterea; ut Art. 23. Anni 1622. in suo vigore maneat et observetur: Instructionesque Dominorum Capitaneorum Legibus Regni conformentur.

§. 1. Ac in Consilio suae Majestatis Bellico duo ad minimum ex Consiliariis suis Ungaris, de rebus Ungaricis et Confiniorum Statu bene informati, in rebus ipsis praecise Ungaricis adhibeantur: ***)

---

*) Renovatur; An. 1659. a. 96. An. 1681. a. 69.

**) Allegatur; An. 1659. a. 86.

***) Urgetur; An. 1659. a. 14.

§. 2. Et in reliquo etiam Conditio tertia Diplomatis; de negotiis Regni Ungariae per Ungaros tractandis, cum effectu observetur: *)

§. 3. Et Palatinalis quoque ac Banalis authoritas, juxta Articulos superinde conditos conservetur. **)

Liberae, Montanae et Regni Sclavoniae Civitates in legitimis suis Privilegiis conserventur.

Articulus 15.

Liberae ac Regiae, nec non Montanae et Regni quoque Sclavoniae Civitates in legitimis suis Privilegiis et consuetudinibus, in quantum Legibus et Constitutionibus Regni et Nobilitari praerogativae non praejudicant; conserventur. ***)

§. 1. Conciviles etiam, benemeritae ac liberae personae, in iisdem Civitatibus Liberis ac Regiis degentes, non aliter, sed ad commendationem ipsarum Civitatum et Dominorum Consiliariorum, juxta Leges Regni nobilitari possint:

§. 2. Quae porro sunt impossessionatae et suspectae Nobilitatis, nihilque penitus bonorum in Comitatibus habentes; Jurisdictioni et judicatui Civitatum illorum locorum, ubi commorantur, subjaceant.

De Commissione in Civitate Varasdiensi instituenda.

Articulus 30.

Porro, quia in Commissione Varasdiensi, in Anno Domini 1635. celebrata (prouti ex tenore Relationis ejusdem dignoscitur) complura ibidem determinata, necdum tamen effectuata essent et postmodum plures adhuc difficultates successissent:

§. 1. Quocirca ex benigna suae Majestatis oblatione et juxta etiam contenta Diplomatis decernitur: Ut in Regni quoque Croatiae et Sclavoniae partibus pro festo Beati Martini Confessoris et Episcopi proxime futuro, primum in Libera ac Regia Civitate Varasdinensi, una peremptoria Commissio instituatur; et in quantum necessarium fuerit, etiam in facie Confiniorum et Civitatum Crisiensis et Capronczensis et Confinii Ivaniczensis constituatur: Per quam universa illa, quae in praescripta Commissione Varasdiensi determinata, hucusque vero nondum effectuata sunt, effectuentur et exequenda executioni, observanda observationi mancipentur; Sclavi et Praedaucii et privati Valachi, in eadem Commissione Dominis Terrestribus adjudicati, eisdem resignentur et in quantum annotatae Commissionis Varasdiensis determinationibus contraventum est, ea omnia corrigantur et severe posthac inhibeantur, et certo ac debito modo transgressores coerceantur; Et reliquae etiam particulares querelae ac difficultates et gravamina decidantur et cum satisfactione Regnicolarum complanentur; et de Valachorum

---

*) Congruit; An. 1741. a. 11.
**) Idem premittitur; An. 1741. a. 9. et 47.
***) Urgetur; An. 1655. a. 110.

quoque reliquorum annuali pensione et totali Sclavorum et Praedauciorum ab eisdem separatione et ad Regnum etiam applicatione tractetur; Et in eum finem mandata sufficientia per suam Majestatem et Instructio praesenti Articulo conformis ad utrosque Commissarios jam statim benigne concedantur.

§. 2. Pro cujus quidem Commissionis effectuatione, ex parte quidem Regni et Sacrae Coronae; Illustrissimus Dominus Comes Nicolaus a Zrinio, illorum Regnorum Banus pro Praeside; et alii priores Commissarii in Art. 46. Anni 1647. declarati (non obstante unius vel alterius absentia, loco quorum idem Dominus Banus alios subrogare possit) denominantur:

§. 3. Ex parte vero Interioris Austriae per suam Sacratissimam Majestatem certi Domini Commissarii denominati sunt: Tali declaratione mediante; Quod, si quae in praemissis praetextu Territoriorum, in indubitatis Regni terminis existentium, difficultates emergerent; earum Adjudicatio inter partes Domino Praesidi, velut Justitiario illius Regni et reliquis indigenis Commissariis (adhibitis etiam, si ita rei meritum postulaverit, Tabulae quoque Banalis Assessoribus et aliis Juris patrii peritis Regnicolis, qui ad manus haberi poterunt) Resignatio vero Dominis Interioris Austriae Commissariis incumbat. *)

De Commissione generali pro incorporatione Valachorum ac aliorum; Alternata collatione officiorum militarium; ac reliquarum difficultatum complanatione; instituenda.

Articulus 31.

Ex communi praeterea universorum Statuum et Ordinum suffragio et benigno suae Majestatis consensu conclusum est; ut postmodum usque ad Diaetam Regni proxime futuram, Viennae, vel ubi sua Majestas, DEO Duce, constituta fuerit, in termino per suam Majestatem denominando, de generali quoque et plenaria Valachorum et Praedauciorum, Sclavorumque sub potestate Dominorum Capitaneorum in Sclavonicis et Croaticis Confiniis remanentium, ad Sacram Regni Coronam et Regnum, juxta Articulos et Diplomata incorporatione: Officiorum militarium aequali, vel adminus alternata collatione; Justitia invicem celebranda; mutuaque pace et unione inter Regnum illud et vicinas Provincias conservanda et aliis universis, si quae restarent, difficultatibus; una Generalis Commissio instituatur:

§. 1. Ibidemque inter Commissarios ex illo Regno, cum plenis mandatis destinandos ab una, parte vero ab altera Commissarios Interioris Austriae, similiter cum pleno mandato deputandos et illuc ad Mandatum suae Majestatis convocandos; universae ejusmodi difficultates tractentur et finaliter complanentur.

*) Urgetur; An. 1655. a. 67.

Commissio ratione finium et Terminorum ad Mare Adriaticum reassumatur et Executioni demandetur.

Articulus 32.

De Metis quoque et gravaminibus ac Territoriis circa Mare Adriaticum, et praesertim de Arcibus Starigrad et Jablanacz familiae Frangepanicae resignandis et Segniensi Civitate (sublatis et abolitis ab extera Cancellaria extractis et impositis ejusdem Statutis) in suam priorem libertatem vendicanda; ac Tricesima ejusdem hactenus per Capitaneos loci in privatos usus conversa, imposterum ad publicam Civitatis illius reaedificationem, medio Civium, sub stricta rationis dandae obligatione (more antiquitus observato) deputanda et resignanda; ac tandem de Arce Terzath Regno et Sacrae Coronae incorporanda et Familiae Frangepaniae restituenda; Art. 42. Anni 1638. et Articulus 50. Anni 1647. renovantur:

§. 1. Et Commissio superinde antea ordinata reassumenda et Executioni demandanda decernitur: ad quam ex parte Regni et Sacrae Coronae; Reverendissimus Dominus Petrus Mariani, Episcopus Sirmiensis: et Magnificus Dominus Petrus Keglevith: Nec non Generosus Casparus Orehoczy, Vice-Banus illius Regni, per Status et Ordines pro Commissariis deputantur. *)

Regnum Croatiae et Sclavoniae in suis libertatibus conservetur.

Articulus 33.

Illud etiam communi Statuum et Ordinum voto et suae Sacratissimae Majestatis consensu sancitum est; ut memoratum Regnum Croatiae et Sclavoniae, juxta Art. 27. Anni 1600. et Art. 13. Decreti Secundi Matthiae primi Regis, Anni 1464. in universis suis Libertatibus, Immunitatibus, Privilegiis, Juribus, Legibus et Consuetudinibus approbatis conservetur. **)

Articuli de aedificatione Praesidii Berkisevinae renovantur.

Articulus 34.

Articuli de summa ad aedificationem Praesidii Berkisevinae ordinata renovantur. Quos etiam sua Majestas Sacratissima finaliter ac benigne effectuare dignabitur. ***)

Capitanei Germani et Indigenae quaestum exercentes Tricesimam solvant.

Articulus 35.

Et quia nonnulli Germani et Indigenae etiam Capitanei in illis Regnis et Confiniis quaestum exercerent et Tricesimam a quaestu administrare nollent:

---

*) Renovatur; An. 1655. a. 71. Urgetur; An. 1681. a. 77.

**) Confirmatur; An. 1687. a. 22.

***) Urgetur; An. 1659. a. 102.

§. 1. Idcirco statuitur; ut a talibus quoque Capitaneis (sicut ab aliis Regnicolis et extraneis quaestum exercentibus) Tricesima exigi et iidem, si contumaces forent, libere vadiari possint.

De eductione Militis Germani ex Arce Varasdiensi, Articuli renovantur.

Articulus 36.

De eductione Militis Germani ex Arce Varasdiensi, Familiae Erdödianae per Antecessores suae Majestatis totaliter collata, veluti loco Sedis Judiciariae Comitatus Varasdiensis; Articuli superinde conditi renovantur:

§. 1. Quos etiam sua Majestas, medio suprafatae Commissionis jam instituendae, effectuare dignabitur. *)

De liquidis debitis et bonis impignoratitiis in Comitatibus usque ad 1200. florenos adjudicandis.

Articulus 41.

Ob rariorum octavalium Judiciorum celebrationem; ad Art. 125. Anni 1647. et alios ibidem citatos, de liquidis debitis et bonis pignoratitiis conditos, addunt et decernunt Status et Ordines; ut tales causae in Sedibus Judiciariis Comitatuum, usque ad summam mille et ducentorum florenorum Ungaricalium (modo et Ordine in iisdem Articulis declarato) adjudicari possint:

§. 1. Salva tamen Regni Sclavoniae Constitutione, pro eodem Regno, in hac parte remanente. **)

Ne Regnicolae extra legitimos Juris processus Commissionibus inviti graventur.

Articulus 42.

Et cum Status et Ordines universi legitimos suos Justitiae Processus, tam Octavales, quam Breves habeant; Eapropter benigno quoque suae Majestatis assensu accedente, communibus Suffragiis statutum est; ut Status et Ordines universi et signanter Regnum Sclavoniae et Croatiae in libertate Conditionis quintae Diplomatis conserventur; neque extra legitimos Juris Processus Commissionibus inviti graventur. ***)

§. 1. Demptis illis; qui ex Constitutionibus, vel ex compromisso inter se, ad easdem obligati essent.

§. 2. Si qui vero sponte et sine obligatione iisdem usi essent; illis per hoc legitimus Juris Processus praecludi non possit.

---

*) Renovatur; An. 1659. a. 99. Confer; An. 1723. a. 93. An. 1741. a. 51.

**) Sublata est haec Constitutio; An. 1729. a. 35. §. fin. Confer cum praes. art. An. 1659. a. 31. An. 1662. a. 32. An. 1681. a. 33.

***) Confirmatur; An. 1659. a. 46. Allegatur; An. 1659. a. 120.

Judicia Octavalia statis suis temporibus et locis publicentur ac celebrentur.

Articulus 76.

Et cum Octavalium Judiciorum celebratio, in Superioribus quidem jam inde a quadraginta circiter Annis; in reliquis vero Regni Ungariae et Sclavoniae Partibus, a quatuordecim Annorum recursu, magno querulantium Justitiamque sitientium detrimento intermissa sit:

§. 1. Necessarium omnino censent Status et Ordines; ut Judicia quoque Octavalia, simul et Brevia a tot annis intermissa; tam in Superioribus, quam his Regni Partibus et in Regno quoque Sclavoniae et Croatiae, statis suis temporibus et locis, juxta Leges et Constitutiones Regni, omnino publicentur et celebrentur. *)

De siccis et minus necessariis Teloniis abolendis vel rectificandis.

Articulus 77.

De siccis et minus necessariis Teloniis abolendis et rectificandis; Articulus 91. An. 1647. et alii ibidem citati, renovantur.

§. 4. In Sclavonia vero, ad reliquos Commissarios in eodem Articulo denominatos; Admodum Reverendus Nicolaus Dianesevich, Praepositus Major Ecclesiae Zagrabiensis, adjungitur.

Domini Comitis Joannis quondam Draskovith Relicta Vidua ac haeredes ejusdem, super quibusdam literalibus instrumentis assignatis, expediti declarantur.

Articulus 90.

Illustrissima Domina Comitissa Barbara Thurzo, Illustrissimi olim Comitis Joannis Draskovith de Trakostyan, etc. alias hujus Regni Palatini, Relicta Vidua et haeredes ejusdem; super universis Literis et Literalibus instrumentis Regni, productis et assignatis, quieta et expediti declarantur.

Contributio pro Conservatoribus et Custodibus Regni Coronae.

Articulus 96.

§. 2. Turcis subditi dimidium solvent.

§. 3. Regnum vero Sclavoniae; juxta oblationem, in Anno 1647. Articulo 34. factam contribuet.

---

*) Urgetur; An. 1681. a. 28. Sed jam proceditur; juxta An. 1723. a. 25.

Ut Protonotarii Regni Croatiae et Sclavoniae ad Regni Diaetam Juratum suum et Tabulae Banalis Notarium, in publicos consessus inducere possint.

Articulus 98.

Ad instantiam Egregii Magistri Joannis Zakmardy de Diankocz, Protonotarii Regni Croatiae et Sclavoniae ac Ablegati ejusdem Regni, ad praesentem Diaetam Nuncii, annuunt Status et Ordines; ut Protonotarii illius Regni, dum ad Generalem Regni Ungariae Diaetam advenerint; semper unum vel alterum Juratum suum et Tabulae Banalis Notarium, adinstar aliorum Protonotariorum, in publicos consessus inducere; et inter reliquos astantes Protonotariorum Scribas vel Notarios collocare possint.

FERDINANDI III. IMPER & REGIS DECRETUM IV. ANNI 1655. ARTIC. POST CORON.

Subsidium Mediae Tricesimae ex parte sui offerunt Regnicolae usque ad futuram Diaetam.

Articulus 4.

Et quia Sua Majestas Sacratissima Munitionem et Militum nativorum etiam Banalium ad praetactum numerum adauctorum exolutionem clementer in se assumpsisset; in eum finem Status quoque et Ordines Regni auctionem mediae Tricesimae huic regno provenientem, usque ad proxime futuram Diaetam continuandam, apud manus Inclytae Camerae Ungaricae relinquunt; ut hac etiam auctione Tricesimae solutioni Confiniariorum commodius provideri possit.

De Solutorum Bellicorum abusibus tollendis: et Magistro Lustrae in quovis Generalatu constituendo: Poenaque non completo numero, aut fraudulenter lustrantium.

Articulus 9.

Et quia statum confiniorum abusus etiam in modo solvendi introductus, nimium aggravaret; Proinde ad tollendos tales et quosvis alios excessus: Statutum est; ut milites confiniarii amodo imposterum, etiam Banales, singulis decem mensibus lustrentur: Ac pro sex quidem mensibus, per florenos Ungaricales, in parata pecunia; pro quatuor vero mensibus in panno, competenti pretio et mensura dando, usque ad futuram Diaetam exolvantur.

Contributio pro Conservatoribus et Custodibus Sacrae Coronae ac Legationibus Regni.

Articulus 15.

§. 3. Regnum vero Croatiae et Sclavoniae, juxta oblationem suam, in Articulo 34. An. 1647. factam, contribuat.

Pro rectificatione Metarum cum vicinis Regnis et Provinciis.

Articulus 30.

§. 7. Eodem modo ex parte metarum inter Regna Croatiae et Sclavoniae ab una et Provincias Styriae, Carinthiae et Carnioliae, ab altera partibus, usque ad mare Adriaticum controversarum; Magnificus Dominus Sigismundus Keglevich de Busin: Admodum Reverendus Dominus Joannes Skerlecz: Egregii item Caspar Orechoczy, Vice-Banus: et Magister Joannes Szakmardy, Regni Sclavoniae Protonotarius.

Qualiter contra Malefactores Nobiles aliquod domicilium habentes procedendum? Poena item et modus contra Vice-Comites, Inquisitiones publicas non peragentes: Dimissores similiter et fautores Malefactorum: Nec non Generales et Capitaneos, Comitatus in praemissis impedientes; praescribitur.

Articulus 38.

§. 3. Dimissores et Fautores malefactorum et eos non punientes; aut in ipsorum officiis, extirpandisque hujusmodi Malefactoribus remissiores; Liberi quidem Comites et Nobiles Jus gladii habentes ac Magistratus Civiles per Vice-Comites; Ipsi vero per Supremos Comites Comitatuum; hi demum per Dominum Comitem Palatinum ac in Croatia et Sclavonia Dominum Comitem Banum, juxta praecitatum Articulum 13. ibidemque annexos Articulos, sine longiori Juris processu puniantur.

§. 4. Contra Generales Capitaneos, eorumque Officiales Bellicos, sese in jurisdictionem Supremorum et Vice-Comitum ingerentes, eosdemque in puniendis malefactoribus impedientes; Articulus 20. Anni 1618. (cum addita poena Articuli 19. Anni 1495.) diligenter observetur per memoratos Dominos Comites Palatinum; in Sclavonia vero et Croatia Banum, irremissibiliter exequenda.

Causa Sigismundi Szántóházy super patrata Fratris sui Patruelis nece, jure per Dominum Comitem Banum revideatur et Executioni demandetur.

Articulus 58.

In causa Sigismundi Szántóházy, qui Dei et Legum Patriae timore postposito, fratrem suum Patruelem, more sicario aggressum una cum Servitore suo, crudeliter interemisset; Patratique homicidii conscius in partes Regnorum Croatiae et Sclavoniae evasisset, ibidemque de praesenti delitesceret:

§. 1. Statuitur ut soluta hac Diaeta, quam primum Dominus Comes Nicolaus a Zrinio, Banus, Deo Duce domum redierit, eundem ad sedem suam, tanquam Magistratus, peremptorie citari faciat, convocatisque Jurisperitis viris si comparuerit; in eadem Sede finale Judicium Executionemque recipiat: Si vero non comparuerit; proscribatur et proscriptus juxta demeritum puniatur.

De Commissione generali pro incorporatione Valachorum, Sclavorumque et Praedauciorum, aliarumque difficultatum complanatione; vel Executione, Varasdini instituenda.

Articulus 66.

Quandoquidem Generalis Valachorum et multo magis Sclavorum ac Praedauciorum in Confiniis Regnorum Croatiae et Sclavoniae existentium, veluti in Literis Adjudicatoriis Palatinalibus Anni 1628. in Articulo 33. Anni 1635. approbatis, Regno et Regnicolis adjudicatorum cum plena Jurisdictione restitutio et reincorporatio tam suae Majestatis, quam Antecessorum suorum et peculiariter quidem Anno 1618. Statibus et Ordinibus clementer elargitis Diplomatibus, promissa celeberrimisque Regni hujus Constitutionibus, praesertim in eodem Articulo 33. Anni 1635. citatis, variisque deliberationibus in Comissione Varasdiensi praescito Anno 1635. celebrata, latis, sancita sit et deliberata; ut tandem praemissorum omnium hactenus inexecutorum realem fructum fideles Status et Ordines sese expertos persentiscant; communi omnium Statuum et Ordinum suffragio ac benigno suae Majestatis assensu conclusum est:

§. 1. Ut abhinc intra spatium sex Septimanarum in Libera ac Regia Civitate Varasdiensi (ex quo id juxta Articulum 31. novissimae Diaetae, in loco praesentiae suae Majestatis hactenus fieri non potuit) una Generalis Commissio instituatur (salva tamen ulteriori prosecutione, quodsi intra spatium sex Septimanarum ob graves aliquas causas eadem Commissio institui non posset permanente) ibidemque inter Commissarios utriusque partis cum plena potestate et mandatis sufficientibus ac Instructione, huic Statuto conformi, ac utriusque Commissariis, sub eodem tenore per suam Majestatem hic et nunc benigne concedendis, ad id destinatos; de iis universis et aliis, si quae restarent difficultatibus hactenus nondum complanatis, quae in praecitato Articulo 31. Anno 1649. commemorantur, cum finali determinatione, juxta Articulos et Diplomata ac tenorem praescriptarum Literarum Adjudicatoriarum et Deliberationum, in dicta Commissione Varasdiensi latarum, tractetur et concludatur:

§. 2. Tali declaratione mediante: Quod si quae difficultates ibidem complanari non possent; eae in proxime futuram Diaetam rejiciantur et differantur.

§. 3. Pro qua quidem effectuanda finaliterque terminanda Commissione, ex parte Regni et Sacrae Coronae; Reverendissimus Dominus Paulus Hoffman. Electus Episcopus Quinque-Ecclesiensis pro Praeside: Ac Magnifici Caspar Szunyog et Adamus Cziraky: Egregius item Andreas Farkas: et alii priores Commissarii superstites, in Articulo 46. Anni 1647. declarati (non abstante unius vel alterius absentia, loco quorum Dominus Praeses alios surrogandi habebit authoritatem) denominantur.

Difficultatum et Gravaminum omnium per Commissionem priorum Annorum decisorum, vel indecisorum, vel etiam post subsecutorum Decisio et Executio relegatur ad antefatam Commissionem Varasdiensem.

Articulus 67.

Quia vero complura in proxime citata Commissione Varasdiensi, Anno 1635.

celebrata (prouti ex tenore relationis ejusdem dignoscitur) determinata, necdum tamen effectuata; et quaedam inchoata, attamen indeterminata mansissent; et postmodum plures adhuc difficultates et injuriae, novaeque et recentes bonorum occupationes successissent:

§. 1. Idcirco ex benigna suae Majestatis oblatione decernitur; ut opera eorundem Dominorum Commissariorum, in priori Articulo denotatorum, modo declarato, similiter cum plenis mandatis, aequali et praesenti Articulo conformi instructione, hic et nunc clementer extradandis destinatorum; intra praemissum terminum, in annotata Commissione Varasdiensi (et in quantum necessarium fuerit, etiam in facie Confiniorum et Civitatum Crisiensis ac Caproncensis ac Confinii Ivaniczensis constituenda) universa illa, quae in eadem Commissione determinata non sunt; reassumantur: Et determinata; hucusque vero nondum effectuata; effectuentur: Omniaque et singula in Articulo 30. Anni 1649. contenta, modo et ordine ibidem specificato, executioni et observanda observationi mancipentur:

§. 2. Et reliquae etiam particulares querelae, difficultates ac injuriae Regnicolarum ac Liberarum Crisiensis et Caproncensis Civitatum in Gravaminibus earum, clare propositae et proponendae, tam novae, quam priores decidantur et cum satisfactione Regnicolarum, damnificatorumque et injuriatorum contentatione complanentur.

§. 3. Bona vero Regnicolarum et dictarum Civitatum, post annotatam Commissionem Varasdiensem, hucusque a Confiniariis occupata; etiam non expectata ulteriori Commissione, per ipsos Dominos Interioris Austriae Commissarios, ad eadem suae Majestatis Mandata, sine ulteriori dilatione, juxta dictamen etiam Articuli 46. Anni 1647. circa finem; restituantur.

Negotium quoque Bonorum et Colonorum Caproncensium ad eandem Commissionem relegatur.

Articulus 68.

Articulos quoque de bonis subditisque et Colonis Caproncensibus, sub potestate Capitaneorum ejusdem loci, extra omnem Fisci Regii et Regni utilitatem haerentibus; Jurisdictioni oneribusque Regni subjiciendis; juxta benignam suae Majestatis resolutionem, iidem Domini Commissarii effectuare possint et teneantur. *)

Civitatis etiam Segniensis difficultates ad eandem Commissionem complanandae rejiciuntur.

Articulus 69.

Civitatis Segniensis Privilegia confirmantur: et omnes eorum difficultates atque Gravamina; ad proxime instituendam Varasdiensem Commissionem, finaliter et cum effectu determinanda exequendaque remittuntur. **)

---

*) Confirmatur; An. 1659. a. 100.

**) Renovatur; An. 1659. a. 96. An. 1681. a. 77.

De pulsione Boum per portum Buccari.

Articulus 70.

De pulsione Boum etiam, per portum Buccari; maneant Articuli desuper conditi; statutum est. *)

Commissio super restitutione Castri Berlegh (Berlog), aliisque controversiis et metis complanandis; instituta.

Articulus 71.

De Metis et Gravaminibus ac Territoriis, reliquisque in Articulo 32. Anni 1649. contentis; renovatur idem Articulus (addito etiam Gravamine Spectabilis ac Magnifici Comitis Georgii de Frangepanibus a Tersath, super restitutione Castri Berlegh) super quibus Commissio antea ordinata reassumatur:

§. 1. Ad quam ex parte Regni; Reverendissimus Petrus Mariani, Segniensis et Modrussiensis Episcopus: Ac Magnificus Sigismundus Keglevith: Nec non Generosus Caspar Orehoczy, Vice-Banus; per Status et Ordines Regni, Commissarii denominantur. **)

Causa Zeleniana, contra Familiam Kerechenianam foeminei Sexus mota, rejicitur ad suum competens forum.

Articulus 72.

Quoniam Causa Zeleniana, contra Familiam Kerechenianam foeminei Sexus hominum, per Magnificum olim Thomam Mikulicz, coram Egregio Joanne Ruchich. Vice-Comite Comitatus Zagrabiensis, penes breves Articulos intentata in Anno Domini 1647. et Anno 1649. in publica hujus Regni Diaeta ad suum competens Forum, Sedem videlicet Banalem relegata fuisset; Nihilominus tamen Alexander Mikulich, in quem causa eadem condescendisset, de facto etiam in Sede Comitatus Zagrabiensis prosequi eandem non desisteret; Ideo tam ex Testimonialibus Regni, quam etiam ex vi Decreti suae Majestatis superinde emanati et coram Regno producti, dicta causa ad Sedem Banalem articulariter rejicitur.

Provisionem Militum Colapianorum et Banalium, aliarumque Munitionum, sua Majestas curabit.

Articulus 73.

Defectum Militum Colapianorum et Banalium, nec non pulveris tormentarii, majorum et minorum Tormentorum, Mortariorum etiam ac alterius generis necessariam Munitionem; sua Majestas juxta benignam suam resolutionem clementer

*) Confirmatur; An. 1659. a. 101. Ubi plura.

**) Renovatur; An. 1659. a. 96.

repleri et administrari; mediae quoque ordinariae Tricesimae relaxationem, hactenus usitatam et in solutionem Militis Banalis proportionaliter redundantem; benigne continuari curabit.

Eductio Militis Germani ex Arce Varasdiensi occasione dictae Commissionis Varasdiensis effectuetur.

Articulus 74.

Ac ut tandem crebrae Regni Constitutiones et Articuli, de Eductione Militis Germani ex Arce Varasdiensi, loco videlicet Sedis Judiciariae ejusdemque Comitatus conditio, totque demissae Regnicolarum et Familiae Erdödianae supplicationes, suum finem et effectum sortiantur; dignum censent et supplicant suae Majestati Status et Ordines; ut medio suprafatorum Commissariorum Varasdinum deputatorum, sine ulteriori revisione et dilatione, iidem Articuli in effectum deducantur.

Summae ad aedificationem Berkisevina ordinatae effectuatio ad Cameram Ungaricam delegatur.

Articulus 75.

Articuli etiam; de Summa ad aedificationem Praesidii Berkisevina ordinata; renovantur: Quorum optata et finalis effectuatio (accedente etiam benigno suae Majestatis assensu) Camerae Ungaricae delegatur.

De modo Rebelles Rusticos, ad Arces Szisszek et Novigrad spectantes; ad obedientiam et subjectionem compellendi.

Articulus 76.

Periculoso exemplo factum esse et defacto vigere intellexeruut Regnicolae; Colonos et subditos, tam Venerabilis Capituli Ecclesiae Zagrabiensis, ad Arcem ejusdem Sziszeg, quam vero Domini Comitis Emerici Erdödy, Possavianos, ad Arcem ejusdem Novigrad, in Comitatu Zagrabiensi existentem habitam pertinentes, adversus suos Dominos Terrestres tumultuarie et manu armata insurrexisse; omnemque subjectionem et obedientiam ipsis debitam excussisse: Operas Colonicales et reditus omnes denegasse: Dominorumque suorum obsidiones, aliaque enormia scelera, in quasvis fideles personas perpetrasse: Eamque Rebellionem, etiamnum in suorum Dominorum Terrestrium damnum et Patriae illius perniciem continuare; nec ullis placidis mediis, hactenus sopiri potuisse:

§. 1. Quocirca ad praecavendas Rusticorum, contra Dominos suos Terrestres Insurrectiones, Statuitur; ut Dominus Comes Banus illius Regni et Confiniorum Sclavonicorum et Croaticorum Generales praetactos Rebelles, veluti manifestarum seditionum authores, publicaeque Pacis ac Tranquillitatis Turbatores, statim post praesentem Diaetam, sine defectu et disputatione, auxilio Brachii Regalis coercere; praescriptamque rebellionem omnimode extinguere; omniaque

et singula exinde emersa damna complanare; et si se absque armorum strepitu subdiderint, Antesignanos nihilominus ipsorum, ad tollendas causas ulteriorum seditionum, capitaliter punire, omnesque in pristinum statum ac debitam suis Dominis Terrestribus obedientiam (non obstantibus quibusvis impedimentis, aut ulteriore, occasione forte cujusvis in executione intervenientis impedimenti ordinatione) redigere; ac ipsimet, congruo pro ratione temporis et effectuationis praesentium adinvento medio, omnia et singula effectuare possint et teneantur.

§. 2. Et eum in finem Mandata quoque sufficientia per suam Majestatem, praesenti Articulo conformia, ad eosdem Dominos Comites Banum et Generales, jam statim benigne elargiantur.

§. 3. Et casu, quo imposterum quoque istam rebellionem durare, aut repullulare, vel similem ibidem, aut in Regno Ungariae exurgere contingeret; eandem virtute duntaxat praesentis Statuti, in Ungariae quidem Dominus Comes Palatinus, in Croatiae vero et Sclavoniae Regnis iidem Domini Comites, Banus et Generales, sopire ac tollere possint et debeant. *)

De Colonorum in Civitatem Varasdiensem transfugientium repetitione.

Articulus 77.

Status et Ordines Regnorum Croatiae et Sclavoniae adversus Civitatem Varasdiensem queruntur, quod eadem Civitas, praetextu cujusdam Articuli praetensi, Colonos et Subditos eorundem fugitivos, in medium sui ad Artes Mechanicas receptos, ibidem contra creberrimos superinde editos Articulos fovere; Et etiam legitime per Dominos Terrestres requisita detinere non veretur:

§. 1. Eapropter Articulos de repetitione et restitutione ejusmodi fugitivorum colonorum renovant et stricte observari volunt Status et Ordines Regni, Dictaeque Civitatis Articulum in Comitatu ejusdem nominis Varasdiensis, taliter qualiter in praejudicium publicarum Regni Constitutionum obtentum; in perpetuum cassant, viribusque cariturum pronunciant.

Commissarii pro rectificandis abusibus et reformando vectigali omnium Regni Tricesimarum ordinantur.

Articulus 100.

§. 5. Similiter etiam in Regnis Croatiae et Sclavoniae denominantur, pro Praeside, Reverendissimus Dominus Petrus Petreticz, Episcopus Zagrabiensis; et Magnificus Sigismundus Keglevith, Egregii item Georgius Malenich; Caspar Budor et Thomas Ivanovicz, Notarius Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis.

---

*) Renovatur et declaratur; An. 1659. a. 107.

Liberae Montanae et Regni Sclavoniae Civitates in suis libertatibus et Privilegiis conserventur.

Articulus 110.

Regiae denique ac Liberae Montanaeque nec non Regni Sclavoniae Civitates; ut in suis antiquis Libertatibus, Privilegiis, Juribus et Consuetudinibus, juxta Articulum 31. Anni 1613. Articulum 35. Anni 1638. ac ibidem citatos; nec non Articulum 15. Anni 1649. conserventur; ac ut Civitates Kis-Marton et Köszeg, juxta tenorem Privilegiorum suorum, per suam Majestatem ipsis concessorum, Jurisdictioni Magistri Tavernicorum subsint; statutum est.

Excessus Alexandri Mikulich; Domini Comites, Banus, vel Georgius Erdödy revidebunt et determinabunt.

Articulus 115.

In causa Magnifici Alexandri Mikulich, juxta benignam suae Majestatis resolutionem, decernunt Status; ut praemissa super ejusdem praetensis excessibus, post obtentam a sua Majestate Gratiam, patratis Inquisitione, idem, ratione eorundem, in praesentiam Dominorum Comitum Bani, vel Georgii Erdödy Senioris, Assessorumque suorum, quos ad manus habere poterunt, evocetur; ibidemque causa ejusdem revideatur ac decidatur peremptorie.

LEOPOLDI I. IMPER. & REGIS, DECRETUM PRIMUM, ANNO DOMINI 1659.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

Diploma Regium, per suam Majestatem tempore felicis inaugurationis et coronationis suae Statibus et Ordinibus Regni super conditionibus inibi declaratis concessum; publicis Regni Constitutionibus inseritur.

Articulus 1.

§. 2. *Prima Conditio.* Quod universas et singulas Regni libertates, immunitates, Privilegia, Status, Jura et Consuetudines, simul et Conclusionem Tractatus Viennensis, omnesque Articulos in eodem comprehensos, ita et reliquos ante et post Coronationem MATTHIAE Secundi, felicis reminiscentiae, in Annis 1608, 1609; Item praedefuncti beatissimae reminiscentiae Domini FERDINANDI Secundi; 1622. 1625. et aliis etiam Annis editos; nec non modernae etiam Imperatoriae Regiaeque Majestatis conclusionem novissimi Tractatus et Pacificationis Lincensis, omnesque Articulos ibidem specificatos, simul et constitutiones Regni; Annorum 1647. et 1649. atque etiam praesentis 1655. in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis sua Serenitas firmiter et sancte observabit, per aliosque omnes inviolabiliter observari faciet.

§. 5. *Quarta Conditio.* Confiniorum vero Praefecturas, Capitaneatus et alia officia, tam in hoc; quam in aliis Regnis annexis, Serenitas sua, juxta Articulum 11. ante Coronationem, Anno 1608. editum, conferet.

§. 8. *Septima Conditio.* Quod in Palatini electione, ejusdemque Authoritate, Jurisdictione et officio, juxta Articulos Viennensis Pacificationis ad tertium. Item ante Coronationem edito, Anni 1608. Articulum 11. et Anni 1613. Art. 7. FERDINANDI Regis, Anni 1655. Art. 1. circa finem, ac secundum formam Juramenti ejusdem Palatini, praescriptum modum Serenitas sua observatura est. De Banatu etiam, quae in eodem Articulo 11. Anni 1608. continentur.

Confiniariorum Numerum, juxta Articulum 3. Anni 1655. intertenendum et ex mediis ibidem insinuatis exolvendum; sua Majestas benigne offert.

Articulus 2.

Cum gravissimo suo damno experiuntur Status, Militum Ungarorum statum in Praesidiis ad numerum in Articulo 3. Anni 1655. specificatum non esse reductum; Ob quod vicinum Christiani nominis hostem per continuas particulares excursiones, etiam in interioribus Regni Partibus Ditioni suae subjugandis, notabiles fecisse, et in dies majores facere progressus, usque adeo; ut nisi idem Militum numerus compleatur, timendum, ne mali istius serpentis rabies etiam in Vicinas suae Majestatis Provincias sese continuata Deditione effundat, prout jam et coepisset.

§. 1. Praecitato itaque Articulo 3. Anni 1655. in suo vigore manente; juxta benignam quoque suae Majestatis resolutionem Status et Ordines etiamnum decernunt: Ut Milites Confiniarii nativi, ad numerum in eodem Articulo specificatum quam primum reducantur, deque continua eorundem (ac Militum quoque Banalium) solutione, ex contributionibus Vicinarum suae Majestatis Provinciarum ac Regni Bohemiae; antea quoque dictante Articulo 34. Anni 1638. ad Confinia istius Regni exsolvenda ordinatis; ac more antiquitus consueto, per Solutores et Commissarios earundem Provinciarum et Regni numerandis: Et proventibus etiam hujus Regni, ad solutionem eorundem Confiniorum benigne deputandis, aliisque mediis ibidem insinuatis effective provideatur.

Universi Status et Ordines Regni, ad promulgationem Supremorum vel Vice-Comitum quot annis personaliter insurgent et lustrabunt.

Articulus 28.

Decernunt ad haec Status; ut universi Domini Praelati, Magnates, Nobiles, Liberaeque Civitates, cum praescitu Domini Comitis Palatini; in partibus vero Superioribus etiam Generalis illarum partium; in Croatia vero et Sclavonia Domini Bani; ad promulgationem Supremorum vel Vice-Comitum in suis Comitatibus quotannis sub poena; Domini quidem Praelati et Magnates quinquaginta: Possessionati Nobiles, viginti quinque: Armalistae vero et Curiales duodecim flore-

norum (per Judices Comitatuum exequendorum et in publicum Comitatus usum convertendorum) personaliter insurgere et apparatu Militari bene instructi lustrare teneantur. *)

Officia et beneficia Ecclesiastica et Saecularia Indigenis Regni conferantur.

Articulus 38.

Cum benigna suae Majestatis annuentia statutum quoque est; ut sua Majestas Officia et beneficia, tam Ecclesiastica, quam Secularia, personis Nationalibus et Indigenis Regni bene meritis, nullo autem modo Extraneis, gratis conferre dignetur. **)

Executores, qui turbatas legitimarum Sententiarum Executiones promovent; denominantur.

Articulus 44.

Contra potentiores, legitimarum sententiarum Executiones turbantes, Articulum 27. Anni 1638. renovandum, eidemque addendum decernunt Status; ut Vice-Comitibus insufficientibus, Supremi Comites, sub poena in eodem Articulo specificata, hujusmodi Literas Sententionales; ipsis vero Interessatis, vel insufficientibus (prout et Magistrorum Protonotariorum legitimas Deliberationes et Sententias taliter impeditas; juxta Articulum 3. Anni 1608. hoc loci in toto renovatum, et ad cujusvis Officii, et dignitatis homines extensum) Dominus Comes Palatinus; ipso vero legitime impedito et annuente; etiam Dominus Comes Judex Curiae Regiae; in partibus vero Regni Superioribus, Generalis illarum partium; in Sclavonia autem Dominus Banus, ipso itidem interessato, vel nolente; ibi quoque idem Dominus Comes Palatinus, indilate exequendas procurent.

De Mandatis Illegitimis, Reexecutoriis et Inhibitoriis; non expediendis: Expeditis vero non observandis, Processibusque taliter celebrandis invigorosis.

Articulus 45.

§. 4. Legitimis porro, tam Domini Comitis Palatini, quam aliorum Regni Ordinariorum Judicum; et in Sclavonia Domini Bani Mandatis, tam in Comitatibus, quam Liberis Civitatibus, juxta tenorem Art. 12. Anni 1635. ubique locus detur.

---

*) Allegatur; An. 1662. a. 10.

**) Renovatur; An. 1681. a. 27. Congruit; An. 1741. a. 15. Confer etiam; An. 1715. a. 22.

De modo et Ordine Insurrectionis, tempore ingruentis necessitatis et hostilis impetus; ac etiam Contributionis et subsidii Annonarii, ex parte Regnorum Croatiae et Sclavoniae; instituendo.

Articulus 85.

Regnum Croatiae et Sclavoniae, quoad defensionem Patriae, refert se ad Art. 4. Anni 1538. et Art. 12. Anni 1601. aliosque in medio sui superinde conditos:

§. 1. Cum ea declaratione; ut dum hostis cum majoribus copiis viscera illius Regni invaderet, vel vero aliquod Fortalitium ejusdem Regni obsideret, mox universi Domini Magnates, Nobiles et alii Regnicolae, sub poena in Art. 21. constitutionum Soproniensium, Anni 1622. declarata, proportionaliter exigenda, vel alia in Congregatione illius Regni concludenda, ad demandationem et praemonitionem Domini Bani, penes Banderium Regium ac Banale, intra limites Regni illius viritim insurgere; et insuper Domini Terrestres, ex parte sua, a qualibet una vel duabus Portis, prout necessitas postulaverit, Equitem unum bene instructum et ex parte subditorum suorum, similiter peditem unum bene armatum: Majore vero necessitate illius Regni exigente, quintam subditorum suorum partem; ac tandem in extrema Regni illius necessitate, prout videlicet illi Regno in Congregatione necessarium visum fuerit, tertiam quoque subditorum partem; in communem Patriae suae defensionem, penes se levare debeant.

§. 2. In Partibus vero Transcolapianis Regni Croatiae et Maritimis, aliisque non dicatis; non solum Domini Terrestres adinstar aliorum Regnicolarum, cum apparatu et copia, qua poterint, in tali necessitate, pro defensione Patriae suae insurgere; sed etiam in majori, vel extrema Patriae et Regni illius necessitate, ipsi quoque decimam, vel etiam quintam, aut tertiam subditorum partem, prout necessitas urserit, in defensionem suae Patriae submittere teneantur.

§. 3. Et ab hac communi Patriae ipsorum defensione; nec Domini Praelati, neque Capitula, nec Religiosi Possessionati sint exempti: verum adinstar aliorum Regnicolarum Equites ac Pedites subministrare; et insuper Capitula, Religiosi Conventus et Collegia; pro divinis peragendis, unam vel alteram de medio sui Personam sacris initiatam et ad id aptam, ex quolibet Capitulo, Collegio et Conventu expedire; et singuli Canonici Ecclesiae Zagrabiensis, domi remanentes, loco personarum suarum, singulos Equites submittere debeant.

§. 4. Indivisi Regnicolae unum de medio sui expedire; Libertini etiam Dominorum Terrestrium et Praediales Ecclesiarum, penes Dominos Terrestres, ad rationem ipsorum insurgere, ac Liberae quoque Civitates, juxta limitationem illius Regni concurrere; et Nobiles etiam unius Sessionis et Armalistae; modo ibidem limitando insurgere sint obligati.

§. 5. Imo non solum Regnicolae; militesque Banales et Regni, sed etiam alii stipendiarii milites Confiniorum Croaticorum, Maritimorum et Sclavonicorum, a Vicinis Provinciis stipendia merentes (salva tamen necessaria Praesidiorum Custodia) nec non Sclavi, Praedaucii et Valachi in Confiniis illis degentes, tali in necessitate in defensionem Regni illius, personaliter concurrere; et in hujusmodi insurrectione, Domini Generales illarum Partium, cum Domino Bano illius Regni, bonam correspondentiam observare debeant.

§. 6. De Parochis, Viduis, Senio confectis, et in servitiis suae Majestatis, vel Dominorum Magnatum constitutis; Articuli jam superinde conditi, hoc quoque loco pro insertis habeantur:

§. 7. Ac tandem Status et Ordines illorum Regnorum suae Majestati demisse supplicant; ut pro talibus extraordinariis ac periculosis necessitatibus, extraordinarie quoque, et majori copia de pulveribus et munitionibus eidem Regno (alioquin talibus valde destituto) tempestive providere; ac tempore aperti belli, milites tam Germanos, quam Nativos. in Praesidiis illorum Confiniorum constitutos, sub modernis ipsorum Militaribus Praefectis et Officialibus, ad veterem antea tali tempore belli observatum Numerum, adimplere; et intra Praesidia illorum Confiniorum collocare et conservare; Ulteriora vero externa sua, et Vicinarum Provinciarum subsidia, in finibus ac terminis ipsarum Provinciarum illi Regno vicinis, pro extremo succursu intertenere; talibusque subsidiis externis, de Annona et strictiore disciplina, providere benigne dignetur: Siquidem Regnum illud et suis, et externis militibus, per se solum, de victualibus providere, sufficienter non posset: Nihilominus tamen de Annonario quoque subsidio in Congregationibus suis, in facie loci celebrandis, tractare et pro sua possibilitate concludere; et concurrere non intermittet. *)

Ratione exolutionis et intertentionis certorum peditum, ex contributionibus Portarum et media Tricesima in Regno Sclavoniae fiendae.

Articulus 86.

Ac tametsi memoratum Regnum Sclavoniae, juxta Art. 9. Anni 1596. ad mediam duntaxat Regni Ungariae Dicam, adinstar Dedititiorum solvendam, de veteri more obligatum sit; idem tamen Regnum, etiam per decem florenos Rhenenses, ad unamquamque Portam contributiones imponere consuevisset, et ex hujusmodi contributionibus in medio sui imponendis ac limitandis; et ex media quoque Tricesima ibidem continuanda, exactorique illius Regni per Tricesimatores administranda, imposterum quoque pedites, circiter quingentos, pro sua et vicinarum Provinciarum defensione exolvet et intertenebit; juxta Articulum 4. Anni 1649. et Articulum 7. Anni 1638. ac Art. 8. Anni 1597.

Judicia Octavalia, et Brevia suo loco, et Terminis consuetis, per Dominum Comitem Banum, juxta infra citatos Articulos celebrentur.

Articulus 87.

Ad clementem suae Majestatis admonitionem, in benignis suis Propositionibus factam, Status quoque, et Ordines Regni Croatiae et Sclavoniae, demisse consentiunt ac decernunt; ut Judicia Octavalia et Brevia illorum Regnorum fre-

*) Allegatur et urgetur; An. 1662. a. 3. Declaratur; An. 1662. a. 6.

quentius et continuo, juxta Art. 7. Decreti 2. Maximiliani Imperatoris, Anni 1572. et Art. 3. Anni 1575. in solito suo loco et Terminis consuetis celebrari; et per Dominum Comitem Banum, sine impedimento publicari possint:

§. 1. Praesertim cum non Inclyta Camera suae Majestatis Ungarica, sed illud solum Regnum, Assessores illorum Judiciorum et Sedis Banalis, pro Diurnis ipsorum, ex propriis suis Contributionibus exolvere soleat.

§. 2. Hoc declarato; quod, si ante expletos ipsorum Judiciorum Ordinarios dies, in praescripto Articulo 7. Anni 1572. et in Articulo 13. An. 1478. declaratos, causae deficerent; per hoc Judicia hujusmodi non condescendant, suadente Articulum 3. Anni 1486.

Transmissiones in Regno quoque Sclavoniae et Croatiae, etiam extraordinarie, in plena tamen Sede Banali revideantur.

Articulus 88.

Pro celeriori Justiciae, in illis etiam Regnis administratione, necessarium judicarent Status et Ordines; ut in Regno quoque Sclavoniae et Croatiae Transmissiones Protonotarii et Comitatuum illius Regni, non solum in ordinaria Sede Banali, sive Octavali illius Regni, sed etiam extraordinarie, in plena tamen Sede Banali; juxta Articulum 3. Anni 1575. computanda, singulis futuris Annis, in quibus Octavae illius Regni, in Sede Banali celebrari solitae fuerint, intermissae; in Termino ad id per Dominum Banum praefigendo, tot diebus, quot necessarium fuerit, legitime revideri; abinde vero, juxta Titulum 3. partis 3. Decreti Tripartiti, in Curiam Regiam provocari; et sub Posoniensibus duntaxat Generalibus, vel Brevibus Judiciis, ac sub Diaetalibus etiam Terminis Posonii celebrandis, juxta citatum Art. 7. Decreti Secundi Maximiliani, Anni 1572. vel vero juxta Art. 52. Anni 1622. in Termino Revisionis Appellationum, per Dominum Comitem Palatinum, in partibus Cisdanubianis praefigendo, iterum maturius revideri possint ac debeant.

§. 1. Ad Judicia vero in Civitate Eperjes celebranda, ob longam distantiam et pericula intinerum; juxta citatos Articulos, nemo ex Regno Sclavoniae suas Appellationes deducere teneatur.

§. 2. Appellationibus ex illo quoque Regno, jam non revisis, pro rejectis manentibus.

De Valachis, Sclavis et Praedauciis, in Confiniis commorantibus; renovatur Articulus 31. Anni 1649. et Generalis Commissio Viennae, intra Annum hinc computandum, instituatur.

Articulus 89.

Ex benigna suae Majestatis annuentia et communi Regnicolarum voto, de restitutione Valachorum, in Confiniis Sclavonicis et Croaticis commorantium, eorundemque ad Sacram Regni Coronam et Regnum, juxta Diploma et Articulos

superinde conditos Incorporatione; et Slavorum quoque et Praedauciorum sub potestate eorundem Capitaneorum remanentium, sed per Commissionem Varasdiensem, Anni 1635. Regno et Regnicolis jam adjudicatorum, Generali ac plenaria resignatione; Officiorum Militarium aequali, vel ad minus alternata Collatione, mutuaque pacis et unionis inter Inclytas Vicinas Provincias et illud Regnum ulteriori conclusione, renovatione et conservatione, ac Justitia invicem administranda, aliisque universis, si quae interim non complanarentur, difficultatibus, finaliter complanandis; renovatur Articulus 31. Anni 1649.

§. 1. Et ulterius decernitur; ut una Generalis Commissio, intra Revolutionem unius Anni ab hinc computandi, Viennae instituatur et per eam, modo et ordine, in praecitato Art. 31. Anni 1649. uberius declarato, praemissae omnes difficultates, jam tandem complanentur. *)

Privilegia et Statuta Valachorum, in praejudicium Regni et Sacrae Coronae confirmata; cassantur.

Articulus 90.

De privilegiis et statutis Valachorum antea cassatis, jam vero recenter ex Cancellaria Germanica, in praejudicium Regni et Sacrae Coronae confirmatis; renovatur Art. 40. Anni 1635. **)

De restitutione Pagorum, recenter a Dominorum Terrestrium Jurisdictione avocatorum.

Articulus 91.

Quia vero annotati Valachi, utcunque Privilegiati, complures alios privatorum Valachorum Pagos; signanter vero Domini Comitis Georgii Junioris Erdödy, sub Castro Liudbregh, Pagos circiter quinque; et Dominae Comitissae Annae Elisabethae Moscon, Consortis Domini Comitis Eberhardi ab Auerspergh, sub Castello Rasszinya, Pagos octo; et insuper certorum Nobilium Pagos duos, ab eisdem Dominis Terrestribus, vel Praedecessoribus ipsorum, in Territorio suo locatos, ac tam in militaribus, quam in civilibus eisdem Dominis Terrestribus, hactenus subjectos et obedientes, a solita Dominorum Terrestrium obedientia, his recenter evolutis diebus avocassent et avulsissent; omnemque in illos jurisdictionem, ipsis Dominis Terrestribus inhibuissent ac interdixissent; eosdemque ad coetum suum applicare niterentur:

§. 1. Conclusum proinde est; ut universi hujusmodi Pagi, jam recenter a solita et usu roborata quorumcunque Dominorum Terrestrium jurisdictione, modo praemisso avocati et avulsi, prioribus ipsorum Dominis Terrestribus, non

---

*) Renovatur; An. 1662. a. 45. An. 1681. a. 63. Allegatur; An. 1715. a. 113.

**) Confirmatur; An. 1681. a. 64. Allegatur; An. 1715. a. 13.

per aliquam remotam Commissionem, sed jam statim sine dilatione, per benigna suae Majestatis Decreta, ex utraque Cancellaria, tam pro Regnicolis damnificatis expedienda, quam etiam Dominis Generali ipsorum et Capitaneis, atque adeo ipsis etiam Valachis dirigenda; in pristinam Dominorum Terrestrium obedientiam resignentur ac restituantur, restitutique ac resignati habeantur eo facto. Super quo etiam, sua Majestas benigna sua Decreta (rebus sic stantibus) obtulit.

§. 2. Casu vero, quo tales Valachi, jam recenter a Jurisdictione Dominorum Terrestrium avulsi, vel sponte recedentes, ad pristinam Dominorum Terrestrium obedientiam, placidis mediis reduci non possent; vel redire nollent; extunc Domini ipsorum Terrestres, jure suo in eosdem utendi et consequenter hujusmodi Valachos, veluti rebelles, ex bonis suis ejiciendi, vel aliter eosdem in rebus et personis ipsorum puniendi; habeant facultatem.

De coercendis Valachis, in possessione Oszek commorantibus.

Articulus 92.

Ac tametsi annotati Valachi, utcunque Privilegiati, in praetensis ipsorum statutis, per expressum haberent; ut cuilibet illorum Pago certi limites praescriberentur, certi tamen de caetu ipsorum Valachi, in Possessione Oszek commorantes, non solum contra Leges et Libertatem Regnicolarum et Regni, sed etiam contra praetensa statuta sua, extra metas inhabitatae per ipsos Possessionis, in vicinos Regnicolarum montes et metas excederent; et praesertim in desertam Possessionem Czunovicz Nobilium Comitatus Crisiensis, uno circiter miliari, a Possessione ipsorum distantem, violenter sese ingerant, diversaque furta, latrocinia, ac depraedationes, vulnerationes et caedes, in circumjacentes Nobiles et Regnicolas exercerent ac continuarent; imo Catholicos etiam pueros in Turciam venderent, ac in mediis Regni visceribus commorantes, publicam tranquillitatem illius Regni turbarent:

§. 1. Dignum proinde judicassent et supplicassent Status et Ordines; ut pro tranquillitate illius Regni praescriptos Valachos, in eadem possessione Oszek commorantes, velut dissensionum fomites, ad ulteriores Confiniorum partes, sua Majestas transferri curare benigne dignata fuisset: Salvo tamen fundo ejusdem possessionis, pro Dominis Terrestribus remanente:

§. 2. Verum sua Majestas, eam dictorum Valachorum ad ulteriora Confinia translationem, in praescripta Viennensi commissione tractandam et complanandam clementer remisit.

§. 3. Interim vero eosdem Valachos delinquentes, ab ulteriori vicinorum montium, et metarum usurpatione et hostilitate in Regnicolas exercenda; condigna animadversione coercendos, ac ad restitutionem, refusionemque ablatorum compellendos esse; sua Majestas benigne annuit et ad justitiam ex ipsis administrandam, ad Generales et Justitiarios illorum, benigna Mandata obtulit; quam etiam suam oblationem benigne effectuare dignabitur. *)

*) Renovatur et urgetur; An. 1681. a. 65.

Milites tam Germani, quam Nativi, Viduaeque ipsorum, fundos et bona Civilia, in Liberis Civitatibus Crisiensi, Caproncensi et Varasdiensi possidentes; Taxas Regias et Contributiones Civiles praestare teneantur.

Articulus 93.

Quoniam inter Liberas ac Regias Civitates Crisiensem et Caproncensem, et aliqua in parte Varasdiensem, nec non Dominos locorum illorum Capitaneos et milites Stipendiarios, tam Germanos, quam Nativos ibidem constitutos, tempore Commissionis Varasdiensis, in Anno Domini 1635. per Dominos illius temporis Commissarios, super Taxa Regia a fundis et bonis Civilibus, in medium Civitatum per eosdem milites administranda, de Proventu Educilli, forique et Macelli juxta limitationem ipsorum Dominorum Commissariorum, utrinque taxanda, vel percipienda; de Jurisdictione Fundorum Civilium, et rerum mobilium inter Civilem et Militarem Jurisdictionem, prout ibidem declaratum est, utrinque observanda; nec non piscatione Fossatorum, in Civitate Crisiensi et Capronczensi inter Capitaneos et Civitatem limitata, modo ibidem declarato usurpanda et similibus negotiis, sola observatione indigentibus, certae deliberationes, ordinationes ac determinationes, fuissent conclusae ac definitae, et in Articulo 51. Anni 1638. ratificatae:

§. 1. Eaedem proinde Determinationes ac Ordinationes, jam quoque iterato, ratificantur: Et ulterius decernitur; ut ejusmodi Determinationes, sola observatione indigentes, tam per Civitates praemissas, quam Dominos locorum Capitaneos ac milites, utriusque Nationis, sine tumultu et sine ulteriore Commissione observari debeant:

§. 2. Praesertim vero, ut milites tam Germani, quam Nativi, Viduaeque ipsorum, Fundos, vel Bona Civilia possidentes, Taxas Regias, aliaque onera Civilia et Contributiones Civiles, ab ejusmodi fundis et Bonis Civilibus provenientes, in medium ipsarum Civitatum persolvere et administrare sint obligati. Super quo etiam sua Majestas benigna Mandata, prout se obtulit, clementer elargiri dignabitur.

§. 3. Inclyta etiam Camera suae Majestatis Ungarica, ob certos Fundos Civiles dictarum Crisiensis et Varasdiensis Civitatum, in publicum Confinii usum conversos; certas exiguas summulas ac Taxas, in deliberatione dictorum Dominorum Commissariorum uberius declaratas, modo ibidem expresso, eisdem duabus Civitatibus, in rationem solutionis Taxarum acceptare et imputare tenebitur. *)

Sua Majestas in Taxarum impositione, Civitatum Crisiensis, Caproncensis ac Montis Graecensis Zagrabiensis; condignam habeat rationem.

Articulus 94.

Quod sua Majestas Liberarum ac Regiarum Civitatum Crisiensis et Caproncensis,

*) Renovatur; An. 1681. a. 78.

veluti gravibus admodum Praesidii et Confiniorum operibus et Vicinitate Valachorum aggravatarum: Nec non Liberae quoque ac Regiae Civitatis Montis Graecensis Zagrabiensis, alioquin ipsa loci sterilitate afflictae, in Taxarum impositione, benignam se rationem habere velle clementer obtulit; pro eo suae Majestati, Status et Ordines humillimas agunt gratias. *)

Negotium Pagi Hlebine, Commissione mediante complanetur.

Articulus 95.

Et quia Civitas Caproncensis, certum unum Pagum Hlebine vocatum, in Territorio suo, non ita pridem a Domino loci illius Capitaneo locatum, certa etiam Promontoria, Jura Montana, Terras et Foenilia, ac alia bona sua et suae Parochiae, per Antecessores moderni Domini Capitanei, ejusdem loci occupata, jam quoque per eundem Dominum Capitaneum detineri; Civitas vero Crisiensis certos Sclavos et Praedaucios cum quatuor circiter Domibus Valachorum in Territorio Superioris Civitatis locatos, debitam obedientiam antea dum locarentur promissam; vel postmodum a Dominis Commissariis, in Anno Domini 1635. adjudicatam detrectare, et alios etiam vicinos Valachos, Sylvas ac Territoria ejusdem Civitatis ulterius occupare conqueritur.

§. 1. Dignum proinde censent et supplicant Regnicolae; ut praemissae Justae ipsarum Civitatum instantiae, ad benignam suae Majestatis demandationem, per specialem aliquam particularem Commissionem, illis duabus Civitatibus clementer elargiendam et primo quoque tempore ordinandam, medio certorum Dominorum Commissariorum, videlicet; Reverendissimi Domini Petri Petreticz, Episcopi Zagrabiensis: Domini Francisci Chikuliny et Domini Vice-Bani illius Regni (non obstante unius absentia) ex parte Regni ordinatorum et aliorum a sua Majestate, ex Interiori Austria illuc ordinandorum; complanentur et effectuentur. **)

De publicatione Privilegiorum et Gravaminum ac Metarum Maritimarum Civitatis Segniensis complanatione; Articuli, modo in iisdem specificato exequendi; renoventur.

Articulus 96.

De Civitate Segniensi (quae fere sola in partibus Maritimis pro Sacra Regni Corona restaret) in suam libertatem vindicanda, Sacraeque Coronae Jurisdictioni applicanda et Privilegiis ejusdem ex Cancellaria Ungarica obtentis, publico statuto confirmatis (Salva Jurisdictione Militari) libere publicandis et exercendis; Gravaminibusque ejusdem Civitatis et aliis metis, ac Territoriis Maritimis et Croaticis, pro Regno et Familia Frangepanica determinandis et complanandis; reno-

---

*) Similiter renovatur; An. 1681. a. 78.

**) Renovatur; An. 1681. a. 78.

vantur Artic. 69. et 71. Anni 1655., Articulus 32. Anni 1649., Art. 50. Anni 1647., Art. 42. Anni 1638. *)

§. 1. Et ad Effectuationem ipsorum Articulorum, ex parte Regni Commissarii, in praecitato Articulo 71. Anni 1655. antea denominati; iterato ordinantur: Quibus sua quoque Majestas ex parte sua, certos Commissarios cum plena authoritate adjungere et praemissos toties repetitos, confirmatosque Articulos, benigne effectuare; et ea occasione, per eandem Commissionem, Domino quoque Comiti Petro a Zrinio, ratione certi Pagi Valachici, Gomerie vocati, competentem satisfactionem impendi curare, benigne dignabitur:

§. 2. Hoc loco, pro parte Venerabilis Capituli Zagrabiensis; renovatur Art. 119. Anni 1647.

De Collatione Officiorum Militarium, in Confiniis Croaticis et Sclavonicis, conferendis.

Articulus 97.

In Capitaneatibus et aliis Militaribus non solum Croaticorum, sed etiam Sclavonicorum Confiniorum Officiis, Majoribus et Minoribus per suam Majestatem conferendis; observentur, Articulus 63. Anni 1647. et Articulus 31. Anni 1635. **)

§. 1. Alioquin, eorum quoque Articulorum effectuatio, in praescripta Commissione Viennensi complanari possit.

Articuli, de Foenilibus Regnicolarum per Confiniarios non depascendis; renovantur.

Articulus 98.

Articulus 43. Anni 1647. et Articulus 57. Anni 1655. de Foenilibus Regnicolarum per Confiniarios et alios ab ipsis assumptos non depascendis, renovantur: Ac denuo statuitur; ut ipsi Articuli, tam in Ungariae, quam Sclavoniae et Croatiae Regnis, exacte observentur. ***)

De modo Eductionis Militis Germani, ex Arce Varasdiensi, fiendae.

Articulus 99.

De Eductione Militis Germani ex Arce Varasdiensi; Articulus 36. Anni 1649. renovatur:

§. 1. Quem etiam sua Majestas, praevia Domus Armamentariae et Annonariae in eadem Arce hucusque habitae, aestimatione; ejusdemque per Do—

*) Confirmatur; An. 1681. a 77. et novissime; An. 1741. a. 56.

**) Confirmatur et declaratur; An. 1681. a. 70.

***) Urgetur; An. 1681. a. 73.

minum Comitem Georgium Erdödy, veluti modernum ejusdem Arcis possessorem, sponte oblata exolutione, per Tractationem superinde instituendam, clementer effectuaturam obtulit.

§. 2. Cum ea tamen cautela; ut idem Dominus Comes, ad militem hujusmodi, tempore necessitatis iterum recipiendum, sit obligatus. *)

Coloni Caproncenses, Regno et Sacrae Coronae incorporantur, Contributionibusque et Jurisdictioni Regni, ac Decimarum solutioni subjiciuntur.

Articulus 100.

Super Colonis Caproncensibus, Regno et Sacrae Coronae incorporandis, Contributionique et Jurisdictioni Regni ac Decimarum solutioni subjiciendis; renovantur et observentur, Art. 35. Anni 1635. et Art. 68. Anni 1655. **)

§. 1. Et, si quid ea in parte difficultatis supererit; in praecitata Commissione Viennensi finaliter determinari et complanari valeat.

Libera Boum pulsio, per Territoria Regni Croatiae et Sclavoniae ac Portum Buccari; admittitur.

Articulus 101.

De libera Boum pulsione, per Territoria Regni Croatiae et Sclavoniae, ac per portum Buccari; Articulus 43. Anni 1635. Articulus 54. Anni 1638. et Articulus 70. Anni 1655. in suo vigore maneant. ***)

De finali fortificatione Praesidii Berkissevina; prout etiam Munitione Confiniorum Banalium et Colapianorum, praestanda.

Articulus 102.

Necessarium etiam existimarent Regnicolae; ut pro reali ac finali Praesidii Berkissevina, in illis Confiniis existentis fortificatione et aedificatione, juxta Articulum 31. Anni 1618. Art. 42. Anni 1635. Art. 14. Anni 1638. et Art. 34. Anni 1649. Summam illuc ordinatam et aliqua in parte administratam; sua Majestas ulterius quoque ac finaliter persolvi facere; illisque Confiniis Banalibus et Colapianis, de ulteriore munitione clementer providere dignetur: Prout etiam sua Majestas successive sese effectuaturam benigne obtulit.

---

*) Confirmatur; An. 1662. a. 3., An. 1681. a. 72.
**) Urgetur; An. 1681. a. 70.
***) Renovatur; An. 1681. a. 69. et novissime; An. 1741. a. 55.

De Unione Civitatis superioris et inferioris Crisiensis; Commissio simul et Commissarii decernuntur.

Articulus 103.

Cum Libera, ac Regia Civitas superior et inferior Crisiensis, in duas prorsus independentes partes divisa sit, Judicesque et Juratos quaelibet suos non subalternatos, sed ab invicem independentes habeat; et exinde in Taxarum solutionibus et aliis communibus ipsarum negotiis, diversae emergant difficultates:

§. 1. Consultum proinde censent Status et Ordines; ut eaedem partes et Civitates sic divisae, in unum Corpus uniri; *) et utrique partium simul unus tantummodo Supremus Judex, Jurati vero, sive Senatores, ex utraque parte proportionaliter jam et futuris Annis eligi debeant.

§. 2. Ad quod exequendum; Reverendissimus Dominus Petrus Petreticz, Episcopus Zagrabiensis; ac Magnifici Domini Sigismundus Keglevich de Buzin, suae Majestatis Consiliarii: Nec non Dominus Caspar Orechoczy, illius Regni Vice-Banus (non abstante unius absentia) cum plenaria uniendi, determinandi et exequendi facultate, pro Commissariis denominati sunt:

§. 3. Salvis in reliquo utriusque Civitatis Privilegiis, in suo vigore permanentibus.

De modo procedendi, in Executionibus Sententiarum notoriarum et Capitalium, imposterum observando.

Articulus 104.

In Executione Sententiarum Notoriarum et Capitalium, in posterum extradandarum, Status et Ordines observandum concludunt, Titulum 6. primae partis Decreti Tripartiti, cum ea declaratione: Quod legitimae Filiorum et Fratrum, ac ubi competit Filiarum, aliorumque legitime comportionatorum portiones, tam in Ungariae, quam Sclavoniae et Croatiae Regnis; non a Fisco post Executionem Bonorum, sed tempore Executionis, per Executores ad id exmitti et in Sententionalibus denominari solitos, sequestrari; et pro talibus Comportionatis, suae legitimae portiones intactae relinqui, debeant. **)

Exactio et Acquisitio Decimarum, in Regno Sclavoniae et Croatiae; juxta Articulum 3. Anni 1636. observetur.

Articulus 105.

Circa Exactionem et acquisitionem Decimarum, tam Capitularium, quam Episcopalium, in Regno Sclavoniae et Croatiae, Articulus 3. ejusdem Regni, in Anno

---

*) Urgetur sub gravi poena; An. 1715. a. 127.

**) Renovatur; An. 1681. a. 37. Confer; Tyroc. Jur. Ung. p. 1. t. 16.

Domini 1636. Regia authoritate confirmatus; et alii quoque Articuli Regni Ungariae superinde conditi observentur.

§. 1. Contumaces vero, armata manu justae Decimationi resistentes; Brachio quoque Banali, ad justas Decimas pendendas et solvendas, compelli possint ac debeant.

De Appellationibus ex Campo Zagrabiensi–Turopoliensi transmissis; revidendis et approbandis.

Articulus 106.

Conclusum etiam ac declaratum est; ut Appellationes ex campo Zagrabiensi-Turopoliensi, transmissas, ad Jurisdictionem Comitatus de Jure, vel consuetudine pertinentes, etiam Dotalisticas maturius revidendi, approbandique, vel emendandi ac tandem ad Executionem remittendi authoritas, Sedis Judiciariae Comitatus Zagrabiensis; in suo vigore salva permaneat: Suadente Articulo 23. Anni 1613. §. Parti vero succumbenti, etc. et Art. 67. Anni 1622. et Art. 65. Anni 1635. *)

De compescendis, Rebellibus Subditis Regni Sclavoniae; Articulus 76. Anni 1655. cum infrascripta declaratione renovatur.

Articulus 107.

Quia Rebellium Subditorum insolentia necdum totaliter in Regno Sclavoniae sopita, sed potius in futurum etiam verenda, coercendaque esset; renovandum proinde censent Status et Ordines Articulum 76. Anni 1655. cum ea declaratione; ut Rebelliones hujusmodi Colonorum, Subditorum et Libertinorum, per denominatos ibidem Justitiarios ac Generales, simul, vel divisim ac per Dominos quoque Terrestres, si ad id sufficientes forent (praevio tamen cum Juratis Regni et Comitatuum Judicibus, sufficienti Judicio et convictione) coerceri et sopiri possint.

Ordo complanandarum differentiarum metalium Regnorum Croatiae et Sclavoniae, proponitur.

Articulus 108.

Cum ratione metarum, diversae in Regnis Croatiae et Sclavoniae suboriantur disconvenientiae: Ad evitanda et praecavenda hujusmodi malorum genera decernitur; ut in illis Regnis, juxta Articulum eorundem Regnorum super reaedificandis metis conditum ac Regia authoritate confirmatum, tales differentiae complanari possint:

---

*) Confirmatur; An. 1741. a. 60.

§. 1. Salva tamen postmodum extra Dominium (executis videlicet exequendis) Jus suum cuique Partium, modis omnibus legitimis ulterius prosequendi, vel vero per Novum, vel Appellationem reformandi, facultate.

Sua Majestas negotium pretii Arcis Dubowacz, et aliarum praetensionum; cum Domino Comite Bano, se accomodaturam benigne offert.

Articulus 109.

Summas deinde suae Majestati Regnicolae habent gratias; quod sua Majestas de pretio Arcis Dubowacz, in publicam Praesidii Carlostadiensis ac totius Regni, vicinarumque Provinciarum utilitatem conversae, ac de aliis etiam conjunctis Domini Comitis Bani Nicolai, Perpetui a Zrinio et suorum Antecessorum praetensionibus, in benigna litera Rudolphi olim Imperatoris ac Regis obligatoria, uberius declaratis, condignam commendationis Regnicolarum rationem sese habituram; eidemque Comiti Bano, tum ob merita ipsius, tum in Gratiam Fidelium Statuum et Ordinum, pro aequo se gratificaturam clementer obtulerit: Imo de opportunis etiam mediis ea in parte tractandis, iisdemque suo tempore specificandis, benigne sese resolvere dignata sit.

LEOPOLDI I. IMPER. & REGIS, DECRET. SECUNDUM, ANNO DOMINI 1662.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De subsidiis externis: Et solutione Praesidiariorum in Regno Sclavoniae: Et eductione Germani Militis, ex Arce Varasdiensi.

Articulus 3.

Status porro et Ordines Regnorum Croatiae et Sclavoniae, de externis suae Majestatis et vicinarum Provinciarum subsidiis Militaribus, tempore aperti duntaxat Belli subministrandis; ac de veterano tam Germano, quam nativo Milite, in praesidiis illorum Confiniorum constituto ac per Inclytas vicinas Provincias exolvi solito; referunt se ad posteriores paragraphos Art. 85. Anni 1659. et ad ultimum paragraphum Artic. 2. Anni 1649. eosdemque observari demisse postulant.

§. 1. Articulus vero 99. Anni 1659. et alii ibidem citati, de eductione Militis in Arce Varasdiensi collocati, in suo vigore maneant et effectuentur.

Regnorum Croatiae et Sclavoniae insurgendi modus.

Articulus 6.

Regnum porro Croatiae et Sclavoniae, quoad exercituationem, refert se ad

Art. 4. Constitutionum ejusdem Regni Sclavoniae, in Generali Decreto contentarum, Anni 1538. et ad Articulum 85. Anni 1659.

§. 1. Cum ea declaratione; quod pro prima insurrectionis vice, Domini quidem Terrestres, a duabus Portis, ex parte sua unum Equitem, ex parte vero subditorum, unum peditem submittere; ac tam ipsi Regnicolae possessionati, quam Nobiles unius Sessionis et Armalistae, personaliter insurgere; ac Liberae quoque Civitates, modo ibidem declarato concurrere; postmodum vero visa majori, vel extrema necessitate, modo et Ordine in praecitatis Articulis denotato, militare debeant ac teneantur.

Regna Croatiae et Sclavoniae, ex media Tricesima et continuanda Contributione; quingentos Pedites intertenebunt ulterius.

Articulus 17.

Status vero et Ordines Regnorum Croatiae et Sclavoniae, tum ex media Tricesima in illis Regnis proveniente et imposterum quoque continuanda; tum etiam ex Contributionibus Subditorum suorum annuatim ibidem imponendis; juxta Articulum 86. Anni 1659. et alios ibidem citatos; quingentorum circiter Peditum intertentionem et solutionem, vice iterata offerunt.

Universis Regni Confiniis, etiam Banalibus, necessarias munitiones sua Majestas subministrari faciet: et praecipuorum praesidiorum fortificationi providebit.

Articulus 18.

Illud quoque grati animi contestatione recolunt Status et Ordines; quod sua Majestas in munitiones Confiniorum, non exiguam pecuniae summam erogari curaverit et ulterius sese in munimenta eorundem Confiniorum erogari curaturam benigne offerat.

§. 1. Quod etiam conditio 8. Diplomatis et Articulus 85. Anni 1649. et Artic. 20. Anni 1625. et Artic. 35. Anni 1618. suaderent, et Regnicolae etiam votis omnibus demisse expeterent; ut sua Majestas, universis istius Regni Confiniis etiam Banalibus, signanter vero Oppido Simegh, per Reverendissimum Dominum Georgium Szecheny, antea Veszprimiensem, jam vero Jauriensem Episcopum, muris cincto; Praesidio Bujak et Novae Arci per Dominum Comitem Banum, adversus Canisam aedificatae; necessarias munitiones, benignissime subministrari facere; ac fortificationi praecipuorum Praesidiorum, ulterius quoque clementissime providere dignetur.

Pro rectificationibus Metarum, Regni Croatiae et Sclavoniae; Commissarii denominantur cum termino.

Articulus 38.

De metis porro Regni Croatiae et Sclavoniae, cum vicinis Provinciis, potissimum vero cum Inclyta Provincia Carnioliae, usque ad Mare Adriaticum rectifi-

candis; Status et Ordines citatum Articulum 30. Anni 1655. et Artic. 66. Anni 1659. et Articulum 96. Anni 1659. similiter renovari; modisque et conditionibus, in citato Art. 30. Anni 1655. et Artic. 66. Anni 1659. declaratis, primo quoque tempore effectuari demisse expetunt:

§. 1. Et ad effectuationem ipsorum Articulorum, ex parte Regni; Reverendissimum Dominum Episcopum Zagrabiensem, eodem vero legitime impedito, vel excusato; Generalem, vel Vice-Generalem Ordinis Beati Pauli primi Eremitae, pro tempore constitutum: Dominum Vice-Banum et Magistrum Protonotarium illius Regni; ac unum, vel duos, ex Capitulo Ecclesiae Chasmensis: et Egregium Nicolaum Patachich, Vice-Comitem Comitatus Varasdiensis; pro Commissariis ex parte Regni denominant; ac per suam quoque Majestatem, certos similiter Commissarios ex sua et dictarum Provinciarum parte, denominari cupiunt:

§. 2. Salva in locum absentium, vel impeditorum Regni Commissariorum; pro Domino Comite Bano substituendi facultate.

Commissio de incorporatione Valachorum et Praedauciorum; effectuari postulatur.

Articulus 45.

Ad demissam fidelium Statuum et Ordinum instantiam, illud quoque cum benigna suae Majestatis annuentia conclusum est; ut Artic. 89. Anni 1659. et Art. 31. Anni 1649. aliique in iisdem citati, de totali Valachorum, in Confiniis Croaticis et Sclavonicis existentium, ad Regnum et Sacram Regni Coronam incorporatione; Sclavorumque et Praedauciorum sub potestate Capitaneorum haerentium, plenaria resignatione, aliorumque ibidem declaratorum negotiorum ac difficultatum explanatione hactenus conditi; pro renovatis habeantur:

§. 1. Eosdemque sua Majestas, medio Commissionis Viennensis, intra revolutionem unius Anni instituendae, adhibitis Regni Croatiae et Sclavoniae Commissariis, per illud Regnum, ad id destinandis; benigne effectuare dignetur.

Contra Valachos in Oszek commorantes; Capitulo Zagrabiensi assistentia Bani admittitur.

Articulus 46.

Quoniam vero certi Valachi in Pago Oszek commorantes, in Territoria Venerabilis Capituli Zagrabiensis ad Castellum ipsorum Toplicza spectantia, violenter irrumpere, Domosque et Colonias ipsius Capituli ibidem locatas, hostiliter invadere praesumerent; ipsis vero Capitularibus, veluti Ecclesiasticis personis, violentos hujusmodi Invasores, armis repellere non adeo conveniret; idcirco, eidem Capitulo pro repellendis illorum Valachorum invasionibus, assistentia Domini Comitis Bani admissa est.

Regni Sclavoniae Protonotariis; in Diaetis Regni, votum, locus et Diarium conceditur.

Articulus 52.

Attentis certis Magistri Joannis Szakmardy de Diankowcz, Protonotarii Regni Croatiae et Sclavoniae, meritis ac servitiis Regno exhibitis; Status et Ordines proprio motu, suae quoque Majestatis benigno consensu accedente, admittunt; ut idem Protonotarius Regni Croatiae et Sclavoniae, ac sui in eodem officio Successores, adinstar aliorum Protonotariorum, in publicis Regni Diaetis votum, locum et Diarium habeant.

LEOPOLDI I. IMPER. & REGIS, DECRETUM TERTIUM, ANNO DOMINI 1681.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De Milite Natico, ad Numerum in Articulo 3. Anni 1655. expressum reducendo et exolvendo; ac de bona Confiniorum provisione.

Articulus 5.

§. 14. De continuaque eorundem omnium Militum modo praevio ad Confinia Regni Ordinatorum et Ordinandorum, ac etiam Banalium, sicut et Speculatorum ubique in Confiniis intertenendorum solutione; non tantum ex proventibus hujus Regni et mediis Tricesimis eum in finem oblatis, verum ad mentem Articuli 34. Anni 1638. et Art. 2. Anni 1659. ex Contributionibus etiam vicinarum suae Majestatis Provinciarum ad Confinia istius Regni exolvenda, ordinatis ac more antiquitus consueto, per Solutores et Commissarios earundem Provinciarum numerandis, effective provideatur.

Nobiles in Confiniis degentes; per Capitaneos et Officiales Confiniorum, in suis Juribus et Libertatibus Nobilitaribus non molestandi.

Articulus 19.

In ordine porro ad Nobiles, in Confiniis degentes, in aliquis eorundem Juribus, Privilegiisque et Libertatibus conservandos; et neque iisdem per Supremos et Vice-Capitaneos aliosque Officiales confiniorum quoquo modo praeter viam Juris turbandos; Articuli 81. et 82. Anni 1649., Art. 21. Anni 1659. et Art. 55. Anni 1609. ac alii superinde conditi renovantur et strictissime per omnes locorum Capitaneos observandi decernuntur.

Pro rectificatione Metarum Regni cum vicinis Provinciis; renovato Articulo 66. Anni 1659. et aliis ibidem citatis; Commissarii denominantur.

Articulus 23.

§. 5. Circa Carinthiam et Carnioliam; Reverendissimus Dominus Martinus Borkovich, Episcopus Zagrabiensis; vel loco illius, Adm. Reverendus Dominus Michael Boczak, ejusdem Capituli Praepositus major: Magnificus Nicolaus Keglevich: Egregii Balthasar Wragovich, Vice-Banus: Petrus Antolchich, Regni Croatiae Protonotarius. Item unus ex Vice-Comitibus Comitatuum Zagrabiensis, vel Varasdiensis.

Judicia Octavalia, tam majora, quam minora et extraordinaria; Appellationumque Revisiones, ubique statis suis temporibus celebrentur: Ac pro Superiori Ungaria, ad Tabulam Regiam Praelatus et Baro denominantur.

Articulus 28.

Ut laudabilis et Deo grata Juris et Justitiae Administratio, pro cujusvis causae aequitate, non tantum in Comitatibus administretur, sed etiam Judicia Octavalia tam majora, quam minora; sicut et extraordinaria et Appellationum Revisiones (non obstantibus quorumvis causis suis diffidentium contrariis votis et opinionibus; aliisque privatis impedimentis) tam in superioribus, quam in inferioribus Regni hujus Partibus, ac in Regno quoque Croatiae et Sclavoniae, statis suis temporibus per suam Majestatem; vel illa absente aut impedita, cum consensu ejusdem per Dominum Regni Palatinum; in Croatia vero per Dominum Comitem Banum, suo modo promulgata celebrentur; articulique Annorum praeteritorum, uti Articulus 41. Anni 1659., Art. 76. An. 1649., Art. 14. An. 1635., Art. 70. An. 1609. superinde jam editi, strictius observentur; unanimiter conclusum est.

Contra Turbatores et non Admissores Judiciariarum Executionum ac Bonorum judicialiter Executorum Reoccupatores; poena cum Processu statuitur.

Articulus 31.

Ad coercendam porro potentiorum in non admittendis et turbandis Judiciariis Executionibus, vel vero Bonorum jam judicialiter Executorum, propria Authoritate fiendis violentis Reoccupationibus, hactenus fere sibi impune vendicatam licentiam; Status et Ordines renovant Artic. 3. Anni 1608. post Coronationem editum:

§. 1. Cum ea declaratione; ut hujusmodi Judiciariarum executionum non Admissores, vel earundem Turbatores, praeter poenam Homagialem 50. Marcarum gravis ponderis, per Judicem causae ipso facto exequendam; etiam in refusione expensarum, in executionem praescriptorum Bonorum, penes assisten-

tiam Supremorum et Vice-Comitum, etiam cum Gentibus Comitatus ad id libere assumendis, vel etiam suae Majestatis Brachialem, fiendam, damnorumque (si quae hujusmodi executionis occasione, parti ipsi triumphanti in bonis ipsis tali modo exequendis causarentur) Refusione convincantur:

§. 2. Bona vero post Judiciariam executionem quorumcunque Judicum judicialiter procedentium, statim, vel post aliquam moram, per quoscunque reoccupata; praeter praescriptam Homagialem, expensarum et damnorum refusionis poenam, in refusione quoque fructuum medio tempore perceptorum, ad mandata suae Majestatis, vel cujuscunque Judicis Regni Ordinarii (comperta solummodo talis Adjudicationis et Executionis, ac Reoccupationis veritate) cunctis Juridicis remediis sepositis, similiter per Comites, vel Vice-Comites, etiam cum Gentibus Comitatus, ad id libere assumendis, sub amissione Officiorum; ipsis vero non sufficientibus, vel nolentibus; tandem ad simplicem duntaxat partis laesae instantiam penes Adjudicatorias superinde latas et executionales exinde subsecutas, ac producendas, per Dominum Comitem Palatinum; in superiori vero Ungaria ad mandatum Domini Comitis Palatini, vel cujusvis Judicis Regni Ordinarii, etiam per nativum illarum partium Generalem; in Sclavonia vero per Dominum Comitem Banum; statim et eo facto, ipsis, quibus adjudicata et executa fuerint, vel ipsorum successoribus (universis itidem juridicis remediis amputatis) restitui possint ac debeant: Nullis in contrarium mandatis, sed nec annualibus revolutionibus obstare valentibus. *)

§. 3. Ac insuper pars laesa, ex parte hujusmodi reoccupatorum Bonorum, in Comitatu poenam duplicatam vigore Articulorum brevis processus super occupationibus et violentiis editorum, acquirendi habeat: **)

§. 4. Salva nihilominus pro ipsis reoccupatoribus extra Dominium talium Bonorum; vel per viam Appellationis, vel aliis legitimis suis modis Jus suum prosequendi et acquirendi facultate permanente. ***)

De Authoritate Banali servanda; Milite exauthorato restaurando; stipendioque infallibili subministrando, et Confiniis Colapianis muniendis.

Articulus 62.

Posteaquam sua Majestas Sacratissima Officium Banatus Illustrissimo Domino Comiti Nicolao Erdödy de Monyorokerek, tam suis, qua Praedecessorum suorum praeclaris meritis, id exigentibus, cum Authoritate avita et in diversis Articulis, signanter autem 32. An. 1638. ac aliis in eodem citatis, ac in Articulo 53. Anni ejusdem 1638. (qui hoc loci renovantur) expressata, contulisset; idem vero Officium absque milite sufficienti et necessaria provisione, munitioneque Confiniorum Colapianorum, ex integro administrari et inimicorum hostiles impetus refroenari, Regnumque ipsum defendi et conservari; ac haereditariarum suae

---

*) Huc facit; An. 1655. a. 55., An. 1626. a. 29.

**) Confer; An. 1514. a. 26., An. 1543. a 3.

***) Allegatur praesens art. An. 1715. a. 15. Allegatur et confirmatur; An. 1723. a. 33. Declaratur; An. 1729. a. 34.

Majestatis Sacratissimae Provinciarum tranquillitati prospici haud possibile esset; ideo ex annuentia quoque suae Majestatis Sacratissimae conclusum est:

§. 1. Ut praetactus miles exauthoratus, stante praesenti Diaeta, ad mandata suae Majestatis Sacratissimae non solum redintegretur et restauretur; verum etiam augeatur:

§. 2. Et tam ipsi Domino Comiti Bano, quam praetacto militi, de stipendio infallibili, annuo, provideatur:

§. 3. Praesidia vero Colapiana, tormentis Bellicis, mortariis, falconibus, seu Barbatis, globis et pulvere pyrio muniantur et ad reprimendos impetus hostiles armentur et fortificentur. *)

Articulus 89. An. 1659. de Restitutione Valachorum, Sclavorum et Praedauciorum in Confiniis commorantium, cum aliis superinde sancitis renovatur; et effectuandus declaratur.

Articulus 63.

Licet tot Articulis, Diplomatibusque Regiis in diversis Diaetis sancitum sit, ut Valachi, Sclavi et Praedaucii sub potestate Capitaneorum in Confiniis Croaticis et Sclavonicis commorantes, Regno incorporarentur; et Sacrae Coronae reapplicarentur; officiaque militaria alternatim Nationalibus conferentur; hucusque tamen praemissae Leges et Diplomata optato effectui mancipata non essent, quod non absque gravi damno et praejudicio eorundem Statuum et Ordinum Regni ineffectuatum esse manifeste comperiretur.

§. 1. Ideo ex benigna annuentia suae Majestatis, universorum Statuum et Ordinum voto et suffragio ulterius quoque sancitum est; ut Articulus 89. An. 1659. aliique in eo citati et extracti, etiam nunc renovati, debitae executioni et effectui, modalitate in iisdem expressata quamprimum demandentur et terminentur.

Privilegia Valachorum, in Praejudicium Regni emanata; iterato cassantur.

Articulus 64.

Statuta et Privilegia Valachorum, in praejudicium Regni et Sacrae Coronae, prouti antea per Articulos 90. Anni 1659. et Art. 40. An. 1635. cassata extitissent; ita et nunc, tum per prius, forte etiam expost extradata; cassantur et mortificata esse pronunciantur. **)

---

*) Confirmatur; An. 1687. a. 22. §. fin. An. 1715. a. 114. Huc refer; An. 1723. a. 87. An. 1729. a. 20. An. 1741. a. 47.

**) Allegatur; An. 1715. a. 113.

Valachi, in Possessione Oszek commorantes; alio translocentur.

Articulus 65.

Quamvis Valachi Oszekienses, juxta Articulum 92. Anni 1659. ob diversas violentias, damna, furta et alia mala facinora in eodem uberius specificata, non solum puniri, verum etiam alio transłocari, ad loca Confiniaria Turcis inimicis viciniora et defensione indigentia debuissent:

§. 1. Iidem tamen Valachi adhuc translocati non extitissent, imo in dies pejora et graviora damna Regnicolis (quibus multo viciniores quam confiniariis essent) inferre et caetera mala facinora perpetrare non desisterent:

§. 2. Ut itaque juxta Articulum praecitatum (qui hoc loci renovatur) ad loca pro defensione Confiniorum magis necessaria (in quibus his recenter evolutis temporibus plurimi Pagi locati sunt) transferantur et translocentur; communibus votis, annuente quoque sua Majestate; conclusum est.

De insurrectione Regni Croatiae et Sclavoniae.

Articulus 66.

Regna porro Croatiae et Sclavoniae, tempore majoris et minoris impetus hostilis, secundum actionem inimici, juxta Leges et consuetudines suas insurgent. *)

§. 1. Quae Regna, ut in suis Juribus, Privilegiis, Statutis, Articulis et Consuetudinibus (quae hoc loci renovantur et confirmantur) conserventur; conclusum est. **)

De fugitivis Colonis restituendis; et poena non restituentium.

Articulus 67.

Non sine gravi praejudicio et damno, diminutione proventuum, desolationeque Patriae, subditi et Jobagiones Regnicolarum, una cum prolibus et Familia, jumentisque et rebus (nonnunquam flagitiis diversis perpetratis promeritam poenam metuentes, nonnunquam vero debitis contractis, vel aliis oneribus obnoxii; Dominorum Terrestrium suorum, vacuis Terragiis et fundis, alii etiam Uxoribus aut Parentibus relictis) ad Confinia transfugere; subinde vero ipsimet confiniarii eosdem clam vel violenter, similiter cum Familia et rebus mobilibus translocare et abducere consueverunt:

§. 1. Qui taliter profugi, aut abducti, periculorum ignari, facile per excursiones Turcarum et alia diversa media, in manus et captivitatem diram Ottomanicam frequenter deveniunt.

*) Confirmatur; An. 1741. a. 59.

**) Confirmatur simpliciter; An. 1687. a. 22. Confirmatur, cum modica limitatione; An. 1715. a. 120.

§. 2. Ut itaque huic pernicioso malo occurratur, annuente etiam sua Majestate conclusum est; ut Domini Capitanei et Officiales Confiniorum, tales fugitivos subditos, nullo unquam tempore ad Confinia recipiant, multo autem minus confiniarii eos vi, vel clam abducant: Imo receptos, abductos, aut quoquo modo ingressos, ad requisitionem Dominorum Terrestrium debito modo fiendam, sub poena florenorum quingentorum ex parte non restituentium, prouti et alia ex parte, vi, aut aliter qualitercunque abducentium, florenorum Ungaricalium centum, singillatim incurrenda, et de bonis et salariis eorundem desumenda; in una parte Judici Executori, scilicet Generali Confiniorum, aut ejus vices gerenti; in alia vero, damnificato cedente, una cum familia et rebus etiam medio tempore acquisitis, universis, eo facto restituant. *)

Ut Arx Sziszek, Capitulo Ecclesiae Zagrabiensis in pristinum Statum restituatur.

Articulus 68.

In causa restitutionis in pristinum statum Arcis Sziszek, Ecclesiae et Capitulo Zagrabiensi fiendae; quod sua Majestas Sacratissima benignum suum affectum erga hoc in passu facientis instantiam, proxime et quidem abunde demonstratura sit; acquiescunt Regnicolae: Salva semper Jurisdictione Regni permanente.

Articulus 101. Anni 1659. de pulsione Boum ad portum Buccari; et Art. 119. An. 1647. occasione Decimarum Districtus Metlike; renovantur.

Articulus 69.

De pulsione Boum per Regnum Croatiae et Sclavoniae, absque ullo cujuslibet impedimento libera fienda; **) Articulus 101. An. 1659. et alii in eodem citati: Prouti et Articulus 119. Anni 1647. occasione Decimarum districtus Metlike, Capitulo Zagrabiensi cedentium; hoc loci renovantur et observandi decernuntur. ***)

Articuli quoque 97. de Collatione Officiorum Confiniariorum et 100. de incorporatione Regno, et restitutione Colonorum Caproncensium Anni 1659. cum caeteris in iisdem specificatis, confirmantur et declarantur.

Articulus 70.

Ut Articulus 97. Anni 1659. de Collationibus Officiorum Confiniariorum; nec non etiam Articulus 100. de incorporatione Regno et restitutione Colonorum

---

*) Declaratur et ampliatur; An. 1715. a. 101.
**) Confirmatur; An. 1741. a. 55.
***) Renovatur; An. 1741. a. 53.

Caproncensium Anni ejusdem; reliquique in eisdem citati, confirmati effectuentur, cum ea declaratione, ut in priori Articulo scilicet 97. Generalatus et Colonellatus subintelligantur et comprehendantur; Generalatuum et pari numero Colonellatuum primis vacantiis, juxta Articulos superinde conditos ratio habeatur; communibus suffragiis, accedente etiam suae Majestatis annuentia, conclusum est.

De Bonis Frangepano-Fiscalibus, ac aliis a Jurisdictione Regni non avellendis.

Articulus 71.

Ut Bona Frangepano-Fiscalia, tam maritima, quam Croatica ac alia quaevis, intra limites Regni Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae existentia, hucusque ad manus Fisci Regii deventa, sive ea prae manibus Fisci Regii, sive aliorum quorumcunque sint, a Sacra Corona et Jurisdictione solita Regni non avellantur, neque per ullum, cum praejudicio et derogamine ejusdem Coronae et Regni possideantur; imo semper legibus et oneribus Regni praetacti, sint subjecta; communibus votis determinatum est. *)

De eductione Militis ex Arce Varasdiensi Articuli sanciti in effectum deducendi.

Articulus 72.

Ut miles Germanus, juxta Articulum 99. An. 1659. et alios in eodem citatos, ex Arce Varasdiensi educatur; annuente etiam sua Majestate conclusum est etiam nunc.

§. 1. Quod sua Majestas benigne (ne Articuli sine fructu conditi esse intelligantur) mediantibus suis benignis Mandatis, eo in passu ad Excelsum Consilium Bellicum Graecense expediendis et dirigendis; quantocyus peragi curare dignabitur.

Depascuatio Foenilium, tot Articulis vetita, ut tandem tollatur; sancitum est.

Articulus 73.

Et licet depascuationes Foenilium, diversis Articulis, signanter vero 98. Anni 1659. et aliis in eodem attactis (tam per Milites Generalatui Varasdiensi, quam Carlostadiensi subjectos abusive inductae) tollendae declaratae extitissent; eaedem nihilominus non absque gravi damno Regnicolarum hucusque sublatae non essent; imo ad ruinandam miseram plebem non solum abusivo quodam modo, ad Festum Sancti Joannis Baptistae exerceri solitae usurparentur; verum etiam usque ad

---

*) Confirmatur; An. 1687. a. 22. Huc refer; An. 1741. a. 52. Item; An. 1715. a. 44.

Festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum veteris Calendarii (quod de Lege Regni sublatum esset) signanter in possessione Draganich prope Carlostadium protraherentur:

§. 1. Quae ut absolute tollantur et leges superinde sancitae observentur; decernitur.

§. 2. Pari ratione Quarteria Hybernalia, inconsueto quodam praetextu, practicari coepta; abrogantur.

Ut Domini Colonelli et alii Officiales Confiniarii ab Injuriis et violentiis, Regnicolis inferendis, coerceantur; Regnicolaeque in et circa Confinia Bona habentes hominibus eadem replere valeant.

Articulus 74.

Quoniam sat graves injurias et violentias nonnulli Domini Colonelli et alii Officiales Confiniarii in Confiniis Sclavonicis et Croaticis, in Bonis, Praediis, Sylvis, Aquis, Piscaturis et piscium clausuris, fundisque Curiarum et domorum inferre solerent, fructusque et utilitates sibi vendicarent:

§. 1. Eapropter sancitum est communi suffragio; ut sua Majestas per sua media, benignaque Mandata et Decreta, ab ejusmodi damnis, violentiis et injuriis inferendis eosdem Colonellos et Officiales clementer coerceat; occupataque Jura restitui, et contrarium facientes, condigne puniri faciat.

§. 2. Regnicolae vero in et circa Confinia, loca deserta et Praedia, ac Bona habentes, eadem hominibus replere pro emolumento et defensione Patriae (quorumvis Colonellorum Confiniariorum, aut aliorum reclamationibus, obstare non valentibus) possint et valeant.

§. 3. Qua occasione, etiam Articulum 49. An. 1647. renovant, et observandum declarant; includendo milites et Officiales Germanos universos quoad educillum.

De medietate tam ordinariae Tricesimae, quam auctionis ejusdem in Regno Croatiae et Sclavoniae, pro milite Colapiano convertenda.

Articulus 75.

Siquidem Regnum Croatiae et Sclavoniae gravi admodum militum Colapianorum non solum ad Conservationem illius Regni, verum etiam vicinarum suae Majestatis haereditariarum Provinciarum securitatem majorem, praeteritis temporibus conductorum exolutione premeretur: Ad quam exolutionem, Contributiones et Dicae ejusdem Regni cum minime sufficerent; idem Regnum debita etiam ad plura millia se extendentia, contrahere necessitatum sit:

§. 1. Eapropter ex benigna suae Majestatis annuentia; tam medietas ordinariae ejusdem Regni Tricesimae, quam ejusdem auctionis per Supremum

Nedeliczensis Tricesimae Exactorem, in rationem praelibatam, Exactori Regni ordinario administranda declaratur. *)

Ut Magister Protonotarius Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae non solum in Diaetis, in Tabula Regia, verum etiam in Judiciis Octavalibus ordinariis et extraordinariis, ac Brevibus; locum, votum et diarium habeat.

Articulus 76.

Status et Ordines benigno suae Majestatis Sacratissimae accedente Consensu decernunt; ut Magister Protonotarius Regni Croatiae et Sclavoniae, ac sui in eodem Officio Successores, non solum in publicis Diaetis, verum in Judiciis Octavalibus, ordinariis et extraordinariis, ac Brevibus; locum, votum et diarium, adinstar aliorum Protonotariorum habeat.

Civitatis Segniensis Gravamina et Querelae; Commissione mediante determinandae.

Articulus 77.

Ut Domini Commissarii in Articulo 23. pro rectificandis metis denominati, gravamina quoque et omnes difficultates Civitatis Segniensis determinent; et juxta Leges superinde prioribus Diaetis editas, signanter vero Articulos 96. An. 1659. Art. 69. An. 1655. et Art. 32. An. 1649. et Privilegia ejusdem Civitatis, executioni indilate demandent; conclusum est.

§. 1. Neque permittet sua Majestas Sacratissima, ut deinceps ab ejus Officialibus, Capitaneis, aut Generalibus, ipsi Segnienses in suis turbentur Juribus et Privilegiis; sed omnes injurias ac violentias, non solum graviter inhibere, sed et Transgressores severe puniri curabit. **)

LEOPOLDI I. IMPER. & REGIS DECRET. QUARTUM. ANNO DOMINI 1687.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

Sacrae Caesareae et Regiae modernae Majestatis, Serenissimorum Masculorum Haeredum Primogeniti, pro naturalibus et Haereditariis Regni Ungariae, Partiumque eidem annexarum Regibus declarantur.

Articulus 2.

Et siquidem sua Majestas Sacratissima, Caesarea et Regia, Victricibus et Glo-

*) Urgetur et firmatur; An. 1715. a. 115. Confirmatur et extenditur; An. 1741, a. 54.
**) Huc facit; An. 1741. a. 56.

riosis Armis suis immanem Christiani nominis hostem Turcam, crebris, cruentis, generalibus conflictibus fusum, Divina praeauxiliante ope, ab eorundem quotidie capitaliter infestatis cervicibus propulsare; deque ipsius faucibus, in quibus hactenus a tanto tempore non absque summa totius hujus Nationis pernicie gemebant; nominatissima istius Regni Fortalitia, interque eadem florentissimam olim Sedem Regiam Budam et Antemurale totiesfati hujus Regni, cum potiore ejusdem parte eripere; ac in eliberationem istius dulcissimae Patriae, haec et alia superius fusius enumerata impendere dignata est:

§. 1. In perpetuum proinde recolendorum tantorum beneficiorum memoriam, et in aeviternum recognoscendam humillime complacentium animorum suorum gratitudinem, praefati Universi Status et Ordines hujus Regni Ungariae et Partium eidem annexarum declarant; quod amodo imposterum neminem alium, quam altetitulatae suae Caesareae et Regiae Majestatis propriis ex Lumbis suis descendentium Masculorum Haeredum Primogenitum, in perpetuum (id ipsum etiam statuentibus Articulo 5. Anni 1547. aliisque superinde extantibus) pro legitimo suo Rege et Domino sint habituri; et erga semper, totiesque quoties ejusmodi Inauguratio instauranda erit, praemittendam praeinsinuatorum Articulorum Diplomaticorum acceptationem, seu Regiam Assecurationem, deponendumque superinde Juramentum, in ea, qua a Majoribus suis praestitum esset, forma; diaetaliter intra hoc Regnum Ungariae rite coronaturi. *)

In defectu Masculini Seminis altememoratae suae Caesareae et Regiae Majestatis; succedent praescripto in Regimine: Serenissimi moderni Hispaniarum Regis Primogeniti, pariformiter Masculi Haeredes: Ac duntaxat iis deficientibus avita et vetus, approbata consuetudo praerogativaque Statuum et Ordinum, locum sortietur in eligendis Regibus.

Articulus 3.

Quodsi vero (quod Divina bonitas in omnia Secula clementer avertere dignetur) ejusdem suae Caesareae et Regiae Majestatis semen Masculinum deficere contingeret; extunc istiusmodi devolvendi et suscipiendi Regiminis successio (erga aeque praeviam, praedeclaratoque modo praemittendam Regiam Affidationem, ac acceptandos praementionatos Diplomaticos Articulos et praestandum desuper Juramentum) redundet, et transeat in Serenissimi quoque Hispaniarum Regis, Domini Caroli Secundi pariformiter Masculinum Semen, adeoque duntaxat eo in casu (quem Divina Clementia benignissime arceat) quo, tam altenominatae suae Sacrae Caesareae et Regiae Majestatis; quam praefati Serenissimi Hispaniarum Regis Masculinum Semen deficeret; **) avita et vetus, approbata consuetudo, praerogativaque praefatorum Statuum et Ordinum, in Electione et Coronatione Regum, suum locum habeat.

---

*) Allegatur; An. 1715. a. 1. et 2. in Diplom. Reg.
**) Allegatur et extenditur; An. 1723. a. 2.

Secundi Andreae, Regis Hierosolymitani, Articulus 31. de Anno 1222. certa sui in parte explanatur.

Articulus 4.

Memores insuper existentes iidem Status et Ordines benignae propositionis ejusdem suae Majestatis Sacratissimae, reformationem quippe solius illius Clausulae, seu potius Regibus contradicendi et resistendi licentiae, in Articulo 31. Secundi Andreae Regis de Anno 1222. appositae, ex rationibus inibi recensitis instituendam innuentis; licet quidem ejusdem Articuli praeattacta in parte, probum sensum nonnisi quorundam privatorum prava Interpretatio in alienum praevaricatum ne fors detorquere studuisset; saniorumque suae Majestatis Sacratissimae fidelium Statuum et Ordinum nunquam ea Mens fuisset; quod juxta illum (per malevolos et seditiosos obversum) contra legitimum Regem et Dominum suum quispiam Armis consurgere et sese erigere queat:

§. 1. Hoc nihilominus etiam in passu, pro ulterius contestanda devotione et humillima incontaminatae fidelitatis obligatione sua, ac radicitus eliminanda diffidentia, quae inter Regem et Regnum, eidemque annexas Partes, eapropter fors in futurum suboriri posset; iidem Status et Ordines demisse complacenti et subdito animo annuerunt; praenarratae Clausulae, de contradicendi et resistendi licentia interpositae, a tenore et sensu praecitati Articuli 31. praeinserti Decreti Secundi Andreae Regis, concomitanterque et inaugurali Juramento praenarrata forma deposito, mediante praesenti Articulari constitutione exclusae et semotae:

§. 2. In reliquo tamen, eodem Articulo et ejusdem Decreto in omnibus suis Punctis, Conditionibus et Clausulis in suo pristino vigore, et Statu permanente:

§. 3. Nulli ambigentes, quin potius nihil eo certius habentes; quam quod eadem Serenitas, ejusdemque praementionati Haeredes et alii Successores, ad mentem quoque benignae Paternae suae Majestatis Sacratissimae oblationis, propositionaliter factae; sint eosdem Status et Ordines, eorundemque pariter Successores, in ipsorum Universis, communibus avitis Juribus, Privilegiis, Libertatibusque et Legibus (secundum praenotatos sui Diplomatis Articulos) in omne tempus Regalium suorum Sceptrorum pientissime manutenturi et indemnes conservaturi.

De Sessione Magnatum.

Articulus 10.

Siquidem non parvam Statibus et Ordinibus Regni hactenus attulisse comperiretur molestiam, dissidium inter Dominos Barones et Magnates, ratione Diaetalium Sessionum in Domo Dominorum Magnatum et Procerum Regni subortum:

§. 1. Ad id deinceps avertendum et bonum ordinem servandum, serie subsequenti et praesenti statuto superinde condito provisum est (Venerabilis quidem Cleri Sessione, inter eundem mutuo et competenter, ad partem accommodata

existente) ut post Celsissimum Principem et Dominum Regni Palatinum uti Locumtenentem Regium, Sessionem suam habeant, Excellentissimi Domini Comites Judex Curiae Regiae, ac Banus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, si personaliter adsit.

De Metarum Rectificatione, renovato Articulo 23. Anni 1681. cum aliis ibidem citatis; Commissarii denominantur.

Articulus 15.

§. 5. Circa Carinthiam et Carnioliam: Reverendissimus Dominus Alexander Ignatius Mikulich, Episcopus Zagrabiensis, vel ejus loco Reverendissimus Dominus Stephanus Szelisztevich, ejusdem Capituli Praepositus Major: et Egregius Stephanus Jellachich, Magister Protonotarius Regnorum Dalmatiae, Croatiae ac Sclavoniae.

Religio Societatis JESU, in Regnum Ungariae et partes eidem annexas recipitur atque stabilitur.

Articulus 20.

Uamodo imposterum Religio Societatis JESU, nomine collectivo sumpta; cum ad clementem suae Majestatis Sacratissimae Resolutionem; tum superinde coram Inclytis Statibus et Ordinibus factam demissam instantiam; in hoc Regnum Ungariae et Partes eidem annexas, pro recepta et stabilita habeatur; unanimiter sancitum est.

De authoritate Banali, Regnisque Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in suis Juribus et Libertatibus conservandis.

Articulus 22.

Quod Sacra Caesarea Regiaque Majestas, habito etiam singulari, constantis erga se Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ac Illustrissimi Domini Comitis Nicolai Erdődy eorundem Regnorum Bani fidelitatis respectu; authoritatem Banalem, Jurisdictionemque ejusdem et dictorum Regnorum Jura, Privilegia, Libertatesque antiquas et praesentes (insertâ in Diplomate Serenissimi Neo-Coronati Regis de usu et intellectu eorundem *) modalitate) confirmare; plenarieque et illibate in futurum quoque conservandas benigne resolvere dignata sit; Status et Ordines humillime intellexerunt.

§. 1. Unde praescita benigna suae Majestatis annuentia accedente, statuitur; ut in manutenendis, tam Pacis, quam Belli tempore iisdem praetactorum

---

*) De usu et intellectu eorundem. Explicatur haec clausula; An. 1741. a. 8.

Regnorum Jurisdictione, Juribusque et Libertatibus, authoritateque Banali; Articuli 11. 1608. (ante Coronationem editus, 27. 1609., 33. 1649., 62., 66. et 71. 1681. Annorum, *) aliique in iisdem citati, praedicto modo cum effectu observentur.

Quod nemo, praeter Romano-Catholicos, in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Bonorum Possessionis capax esse possit.

Articulus 23.

Ad conservandam porro animorum concordiam et publicam Regni tranquillitatem, quae in unitate Religionis potissimum consistere, ex eaque in modo fatis Regnis stabilita fuisse dignoscitur:

§. 1. Ex benigna suae Majestatis annuentia conclusum est: Ut in iisdem Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis, secundum Municipales eorundem Leges hoc loci confirmatas; tam in Partibus sub Jurisdictione eorundem ad praesens existentibus, quam in futurum juxta clementem suae Majestatis Sacratissimae Resolutionem ad eandem legitime reapplicandis; soli Catholici Possessionis Bonorum, uti hactenus, ita imposterum, sint capaces. **)

CAROLI VI. IMPER. & REGIS III. DECRETUM I. ANNI DOMINI 1715.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

Circa Regiam Haereditariam Successionem et Regimen; uberior declaratio.

Articulus 3.

Sacra Caesarea Regiaque Majestas, Successionem Haereditariam juxta tenorem benigni Diplomatis sui immediate praeinsinuato Articulo secundo, nunc inserti, sufficienter declaratam, clementer resolvit dirigendam; et deficiente demum Masculino sexu, a Divo condam LEOPOLDO et Rege descendente, ***) avitam et veterem, approbatamque Consuetudinem, Praerogativamque Statuum et Ordinum, in Electione et Coronatione Regum, locum suum habituram esse:

§. 1. Nec Status et Ordines Regni eadem Sacra Regia Majestas secus regi, aut dirigi vult; quam observatis propriis ipsius Regni Ungariae hactenus factis, vel in futurum Diaetaliter constituendis Legibus:

§. 2. Qua Regia clementissima declaratione; circa clausulam: Prout super intellectu et usu Legum, Regio et communi Statuum consensu Diaetaliter

---

*) Vide dicta; ad h. art.

**) Confirmatur; An. 1715. a. 30. §. penult. Et An. ejusd. a. 125. Item confirmatur et extenditur; An. 1723. a. 86. An. 1741. a. 46.

***) Deficiente etiam faeminino sexu; juxta tenorem An. 1723. a. 2.

conventum fuerit, *) de omni a Regno avulsione; ac ad morem aliarum Provinciarum supposito Gubernio; **) memoratos Status et Ordines Regni sufficienter praecautos reddit.

De Commissione Neo-Acquistica, pro edoctione Jurium instituenda.

Articulus 10.

Respectu Bonorum e Potestate Turcica Victricibus Caesareo-Regiis Armis vindicatorum et recuperatorum, ut Praetendentes et Querulantes celeriorem Justitiae administrationem, ac Jurium suorum, quae comprobare poterunt, soliditatem consequi valeant; annuente Sua Majestate conclusum est:

§. 1. Ut soluta praesenti Diaeta, statim et indilate inchoetur et procedat, ex meris Nationalibus constans Commissio ***) intra Regnum, et quidem una pro Comitatibus Cis- et ultra-Danubianis; Posonii: Alia vero pro Comitatibus Partium Superiorum; Cassoviae: Tertia demum pro Croatia et Sclavonia; Zagrabiae: Cum omni Authoritate et plena facultate, Causas eo duntaxat spectantes, ex integro cognoscendi, finaliter decidendi et reali etiam Executioni mancipandi. †)

§. 2. Cujus muneri incumbet, formalitatem edoctionis et normam illam sequi; quam Jura in talibus Casibus pro distinctione Causarum exigunt, vel admittunt.

§. 3. Pro quarum quidem Commissionum Praesidibus et Assistentibus denominantur.

§. 5. Zagrabiae demum, sub Praesidio Domini Comitis Bani, vel eo impedito; Comitis Petri Keglevich: Pro assistentibus; Praepositus Zagrabiensis: Baro Balthasar Patachich: et Protonotarius Regni cum duobus Vice-Comitibus per Praesidem eligendis: Et ex parte Camerae; Tricesimae Varasdiensis Exactor:

§. 6. Cum ea declaratione; ut in casu mortis, aut legalis absentiae Dominorum Praesidum, Sua Majestas alios denominandi; loco Assistentium vero, similiter decedentium, aut absentium; Domini Praesides alios surrogandi, ad ratificationem tamen Regiam, habebunt facultatem.

§. 7. Et, si quis ex Assistentibus interessatus esset; pro tempore, quo Causa ejus tractabitur, exesse debeat:

§. 8. Et usque ad hujus Commissionis exitum; manebunt Partes in Possessione Bonorum plena, vel simultanea, sicut ante initium Motuum proxime praeteritorum fuerunt: Illi videlicet, qui super Jure Armorum convenerunt, et conventioni effective satisfecerunt et Bona sua, quantumvis conscripta, ab actuali tamen Donatariorum Possessione conservaverunt; in plena: Donatarii vero Bonorum sibi collatorum, realem Possessionem et usque ad Motus continuatam, adepti; cum Regnicolis, Bona talia praetendentibus, in simultanea.

---

*) Uberius declaratur et extenditur; An. 1741. a. 8.

**) Allegatur et roboratur; An. 1741. a. 8.

***) Confer; An. 1723. a. 19.

†) Sublata est haec Commissio; An. 1741. a. 21.

§. 9. In qua quidem Commissione, ab illis, qui Jura sua sufficienter liquidabunt; in partem sumptuum, quos Sacra Regia Majestas, in praeterito diuturno Bello Turcico, pecunia quamplurimum gravibus usuris mutuata et adhuc debita pertulit; Proportionata Quotta conferatur.

De Emendatione Legum et Celebratione Judiciorum.

Articulus 24.

Ut Juris et Justitiae administratio, sine qua Regna subsistere non possunt, tam per hoc Regnum, quam Partes Eidem annexas, amodo imposterum exactius celebretur: annuente Sua Caesareo-Regia Majestate Status et Ordines concluserunt:

§. 2. Ex parte vero Croatiae: Dominus Episcopus Zagrabiensis: Item Daniel Rauch, Vice-Banus; Joannes Branyug Protonotarius et Georgius Czindery; cum facultate in locum decedentium, vel legitime absentium, alios ad suae Majestatis ratificationem substituendi, in Ungaria quidem penes Dominum Palatinum; in Croatia vero penes Dominum Banum permanente.

De Processu Fisci Regii.

Articulus 25.

§. 3. Sed Fiscus Regius, coram Regni Ungariae Palatino, aut Judice Curiae Regiae; *) in Croatia vero, coram Regni ejusdem Bano, sive celebrentur Octavae, sive non, vel in ipsis etiam Octavis, Praetendentes, si fuerint, ad mentem praecitati Tituli 67. Partis primae, ad ipsam Privilegiorum, Juriumque suorum edoctionem, sola insinuatione Judicis praemissa, convenire, adigereque possit, intra Annum a morte Deficientis computandum.

Pro rectificatione Metarum cum Vicinis Provinciis, Commissarii denominantur.

Articulus 39.

Quandoquidem ad demissam Statuum et Ordinum Instantiam, in Metarum, inter Vicinarum Provinciarum et Regni Ungariae Limites, multis retroactis Annis Controversarum Reambulatione effectuanda, Sacra Caesarea Regiaque Majestas clementer admisisset; ut stante praesenti Diaeta denominentur Commissarii, qui ejusmodi Reambulationem justo modo concludant, conclusamque, pro ratificatione Eidem Caesareo-Regiae Majestati humillime referant; super hactenus decisis vero, ac ab Executione duntaxat pendentibus Metarum Revisionibus, comperta rei ve-

---

*) Confer; An. 1741. a. 23.

ritate, Statibus et Ordinibus Justitiae complementum administrari clementissime obtulisset; Quapropter ex parte hujus Regni, renovatis Articulis 28. An. 1681. et Art. 15. An. 1687. eum in finem Commissarii denominantur.

§. 5. Circa Styriam ex parte Croatiae et Carnioliam: Excellentissimus ac Illustrissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, Comes Emericus Eszterhazy; vel eo impedito; Episcopus Bosnensis Georgius Patachich; Comes Petrus Keglevich; Item Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Magister Protonotarius; Praeterea unus ex Vice-Comitibus Comitatus Zagrabiensis.

De Metarum inter Comitatum Simegiensem et Baraniensem, nec non Regnum Sclavoniae Controversarum; Revisione et Decisione.

Articulus 40.

Circa Differentias et Controversias, quae Occasione Metarum per defluentiam Dravi, inter Comitatum Simegiensem et Baraniensem, nec non Sclavoniam; item quae inter Bihariensem et Bekesiensem, praeterea Tolnensem et vicinos alios quoscunque Comitatus; non secus et illas, quae inter Dominium Murany et Lypto-Ujvar exortae essent et haberentur, statuum est:

§. 1. Ut Dominus Regni Palatinus, auditis Partibus et ubi interessatus esset, etiam Fisco Regio, observatisque Literarum Collationalium Conditionibus, easdem similitudine Articulorum 19. et 20. Anni 1635. hic loci renovatorum revideat et secundum Justitiam finaliter decidat.

De Dominio Csaktornya et Bonis Zriniano- et Frangepaniano-Fiscalibus, per Graecensem, seu Styriacam Cameram Possessis.

Articulus 44.

Cum Sua Majestas Sacratissima benigne declarasset, Dominium Csaktornya, cum reliquis Zriniano- et Frangepaniano-Fiscalibus Bonis per Cameram Graecensem, non qua Communitatem, sed pro Duce Styriae Privatorum Jure possideri; Hinc statuitur: Quod hujusmodi Bona, seu eorum Possessores, ac Officiales (sicut in aliis Fiscalibus Bonis) Legibus, Oneribus et Jurisdictioni Regni subesse debeant. *)

Commissarii denominantur ad Revisionem Terreni, inter Vunnam et Colapim habiti; et Octo floreni Domino Episcopo Szegniensi, menstruatim solvendi determinantur.

Articulus 61.

Ad avertendas Confusiones, colendamque inter Regnicolas et militiam Confinia-

*) Declaratur et urgetur; An. 1723. a. 94. Item, confirmatur; An. 1741. a. 42.

riam mutuam amicitiam, pacem atque tranquillitatem; ad Revisionem Terreni inter Vunnam et Colapim Fluvios existentis; interque Domini Episcopi Zagrabiensis Abbatiam ac Ecclesiam, nec non idem Capitulum Zagrabiense ab una; ac militiam Confiniariam Partibus ab altera controversi, accedente Suae Majestatis Sacratissimae annuentia, denominantur Commissarii:

§. 1. Dominus Comes Joannes Palffy, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque Banus; eo vero quoquo modo impedito; Dominus Comes Petrus Keglevich: Ac eo etiam impedito; Dominus Comes Joannes Draskovich; Baro Stephanus Druskoczy; Item, eorundem Regnorum Protonotarius ac Adamus Domianich; et unus ex Vice-Comitibus Comitatus Zagrabiensis;

§. 2. Qui praevia praescripti Terreni oculari Revisione, praesente etiam Fisco Regio, necessitatem et quantitatem Lineae Confiniariae cognoscent, superindeque genuinam et circumstantialem Relationem, Suae Majestati Sacratissimae, ad faciendam Partibus pro aequo et justo determinationem, submittent.

§. 3. Menstruos autem florenos octo, Episcopo Szegniensi, ex Fundo hactenus consueto, imposterum etiam persolvendos, Sacratissima Sua Majestas benigne resolvit.

Instantiae Familiarum Fancsy et Desöffy: ad Revisionem Commissionalem remittuntur.

Articulus 85.

Et quia Sexus foeminei homines, a Familia Fancsy de Gordova descendentes, ad Bona de Gordova, Petne, Velike et Babagora, Pertinentiasque eorundem in Comitatibus Posega et Veröcze existentes, per Majores Suos ultra duo Saecula pacifice possessa;

§. 1. Familia autem Desöffy de Csernek, ad Arces, sive Castra Posega, Csernek, Dinovicz, Podvercza, Presztocs, aliter Eleskö, Leboraz, aliter Vaskapu et Eszek, eorundemque universas Appertinentias, in Comitatibus Posega, Valko et de Orbacz existentes et habita, Victribus Caesareo-Regiis Armis, a jugo Turcico vindicata, perque Cameram Suae Majestatis Sacratissimae Jure Neo-acquistico, partim etiam actualiter possessa partim autem aliis distracta, se legitimum Jus habere, id ipsumque Privilegiis et aliis Literalibus Instrumentis edocere velle obtulissent; Proinde Jurium annotatarum Familiarum, ad praescripta Bona habitorum Revisio; abindeque pedentis Juris et Justitiae iisdem impendenda Administratio; ad Commissionem in Articulo 10. constitutam remissa est.

Infrascripti Ordines in Regnum Ungariae, Partesque Eidem annexas recipiuntur.

Articulus 102.

Ad demissam Ordinum infrascriptorum coram Statibus et Ordinibus, super Receptione Sui in Regnum Ungariae, Partesque Eidem annexas, factam Instantiam;

tametsi aliunde Authoritate etiam Regia introduci et stabiliri possent; ad demissam nihilominus Statuum Recommendationem, benigno Suae Majestatis Consensu accedente, determinatum est;

§. 1. Ut Religiosi Ordines, Fratrum Camaldulensium; et Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum; nec non Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI de Scholis piis: in Regnum istud Ungariae et Partes Eidem annexas, Voto tamen et Sessione absque omni; pro receptis ac stabilitis habeantur:

§. 2. Bonaque Fundationalia, pure Secularia et liberae Fundatorum dispositioni subjecta, Jure et Titulo duntaxat Pignoris possidere valeant.

§. 3. Amodo autem imposterum; Collegia et Claustra quorumvis Religiosorum, sine necessitate Reipublicae et benigno Regiae Majestatis assensu, non augebuntur.

Terrena, per Generalatum Varasdiensem possessa, restituentur; et plures aliae Controversiae, medio Commissionis instituendae; accommodabuntur.

Articulus 113.

Et propria Authoritate et unanimi Statuum atque Ordinum Consensu, Sacra Majestas Caesarea et Regia, mota; et Divi olim Genitoris Sui Augustae reminiscentiae LEOPOLDI PRIMI Resolutione, in primordio Diaetae praesentis Originaliter producta et perlecta; plurium quoque Annorum et Diaetarum Articulis; utpote Anni 1604. Art. 14. An. 1608., Art. 9. An. 1613., Art. 39. An. 1618., Art. 32. An. 1622. Conditione Diplomatis septima: Anni 1635. Articulis 33. et 40., Anni 1638. Art. 51., Anni 1659. Art. 89. et 90., nec non Anni 1681. Art. 64. et ejusdem Anni Diplomatica Conditione septima; Accedente etiam Octavalium Judiciorum Sententia, atque ex Mandato Regio instituta Revisione; in benignam sumptis considerationem; statuit et resolvit;

§. 1. Ut proxime instituenda Commissio (cum interventu etiam Comitis Bani, si adesse poterit; et Episcopi Zagrabiensis, aliorumque tam de Magnatum, quam Nobilium, eorundem Croatiae et Sclavoniae Regnorum Statibus, quos ad Functionem hanc denominaverint) in facie Loci, processura, modum et occasionem transferendi Generalatus Varasdiensis exquirat; ac Suae Majestati pro benigna Determinatione, referat;

§. 2. Eodemque contextu, de Restitutione et Reincorporatione Terrenorum (inclusis et intellectis, iis etiam Montis Claudii Pertinentiis, quas etiamnum mentionatus Generalatus Varasdiensis, ac alter Eszekiensis et Excelsa Camera Aulica usuat; sic et Capituli Chasmensis, ac aliis etiam tam Ecclesiasticorum, quam Secularium Bonis per eundem Generalatum Varasdiensem possessis) ac eductione etiam Militis, ex Arce Varasdiensi; agat et concludat. *)

§. 3. Quae Commissio, Liberarum quoque et Regiarum Varasdiensis, Crisiensis et Capronczensis Civitatum, querulose exposita Gravamina; multifa-

*) Renovatur et urgetur; An. 1723. a. 88. et An. 1741. a. 49. Et quoad appertinentias Montis Claudii; specialiter An. 1741. a. 51.

riosque ibidem existentium Confiniariorum Excessus; coram eadem Commissione Caesareo-Regia rursum, ubi e re fuerit, uberius specificandos et proponenda:

§. 4. Sic et Liberi ac Regii Oppidi Czirkveno; non secus etiam Bonorum Zriniano et Frangepaniano antehac Fiscalium, ac in praesens per Cameram Styriacam possessorum, quorundam Officialium graves pariter et enormes, in diversos Regnorum illorum Nobiles, eorundemque Jura et Possessiones, attentatos et patratos Excessus:

§. 5. Ita similiter diversorum Regnicolarum contra Officiales itidem Generalatus Carlostadiensis, de ademptis sibi pluribus, et quidem notabilibus Bonis et Dominiis, praetensas querelas, illatasque injurias:

§. 6. Quemadmodum et tam de ejusdem Carlostadiensis, quam Varasdiensis Generalatuum, alias pluribus jam antecedenter quoque statutis Legibus vetitas; et in depascendis vicinorum ibidem Regnicolarum et notanter Possessionis Draganicz; aliorumque passim Foenilibus, sibi impune vendicatas licentias cognoscendi; aliaque his similia sibi repraesentanda praejudicia et Excessus examinandi; discutiendique; ac ex aequo et justo determinandi; laesisque et injuriatis, eo facto plenam et omnimodam Satisfactionem et Contentationem impendendi; omnesque tales et similes, in futurum ne fors attentandos Excessus et Praejudicia tollendi et praecludendi, facultatem habebit.

De Authoritate Banali; et Domini Bani Salario.

Articulus 114.

Annuit Sua Majestas Caesarea et Regia, accedente communi Statuum et Ordinum Voto; ut Comes Banus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, et Ejusdem in Officio Successores, non modo Authoritate Banali, juxta Conditiones Diplomaticas, et Articulos 27. Anni 1609. et Art. 62. Anni 1681. fungatur; *) verum etiam Salarium suum et Banderii sui, juxta modernam benignam quoque applacidationem, ex Aerario Regio (more hactenus observato) habeat. **)

Subsidium pro Militia, per Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae solvi consuetum; ordinatur.

Articulus 115.

Benigno Suo Caesareo-Regio Affectu (quo in Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Sacra Majestas fertur) resolvit clementissime; quatenus Subsidium pro Militia Confiniaria, per Statas et Ordines Eorundem Regnorum, ex propriis ipsorum Contributionibus jam ab olim solvi consuetum, pro tenore Articuli 75. Anni 1681. per Supremum Tricesimarum in iisdem Regnis

---

*) Renovatur; An. 1723. a. 87.

**) Urgetur; An. 1729. a. 20. Et denuo renovatur; An. 1741, a. 47.

Exactorem (more hactenus observato) ipsis Regni Statibus praestetur et exolvatur; cum onere, per eosdem Status et Ordines de ejusmodi perceptis et erogatis, Suae Majestati Sacratissimae dandae Rationis. *)

Ut Camera Graecensis Transactioni initae se accommodet.

Articulus 116.

Aequitati et Justitiae comperit esse conformem Sacra Majestas Caesarea et Regia, humillimam Statuum et Ordinum Croatiae et Sclavoniae instantiam; quam adversus Cameram Interioris Austriae, Graecensem dictam, promovissent; in eo, quod eadem Camera Transactioni cum iisdem Statibus, Occasione Bonorum Zriniano- et Frangepaniano-Fiscalium, coram Augustae Reminiscentiae LEOPOLDO Primo Imperatore et Rege initae, se accommodare hactenus intermisisset.

§. 1. Ac proinde, altefata Sua Majestas Sacratissima, se clementer demandaturam obtulit; ut, in quantum praefatae Transactioni satisfactum non esset; non solum eandem ex integro mentionata Camera observare; verum comperta Rei Veritate, hactenus neglecta, effective exolvere teneatur. **)

§. 2. De Provinciarum quoque Lika et Corbavia, suo tempore (et quo citius fieri poterit) Reincorporatione instituenda; benignam Provisionem, se adhibituram pollicendo.

§. 3. Metarum itidem inter Provinciam Styriae et Carnioliae ac modo fata Regna (prout etiam de plaga Terrae, inter Legradiensis in Comitatu Szaladiensi, ab una; et Possessionem Nagy- et Kis-Attak, cum una alia Terrae Parte, Gradische appellata, in Comitatu Crisiensi existentium Incolarum, ab alia, Partibus, subortas et vigentes Controversias) ac alias similes, inter ipsos Regnicolas et Dominium Csaktornya emersas; Commissione mediante, per denominandos, ex Parte Suae Majestatis Commissarios; ex Parte vero eorundem Statuum et Ordinum: Dominum Episcopum Zagrabiensem; Comitem Petrum Keglevich; vel eo impedito; Comitem Joannem Draskovich, et Paulum Cseskovich Praepositum Zagrabiensem; ac Joannem Branyug, eorundem Regnorum Proto-Notarium; deinde Vice-Comitem Comitatus Crisiensis, eo vero interessato; unum Zagrabiensem; accommodandos benigne resolvit. ***)

De Pulsione Boum, per Portum Buccari.

Articulus 117.

Libera Pulsio Boum, per Portum Buccari, praecedentium etiam et tot Diaetarum Articulis admissa; nunc quoque non impeditur; dummodo vicinis Provinciis, quoad Pecorum suorum necessariam Distractionis Commoditatem non praejudicet. †)

---

*) Confirmatur et extenditur; An. 1741. a. 54.

**) Confer; An. 1741. a. 52.

***) Confirmatur quod controversias metales; An. 1741. a. 53.

†) Denuo admittitur haec Boum pulsio; An. 1741. a. 55.

Incorporatio Inferioris Sclavoniae, medio instituendae Commissionis effectuanda; committitur.

Articulus 118.

Humillimis Petitis Statuum et Ordinum memoratorum Regnorum Croatiae et Sclavoniae (communi Regni Ungariae Statuum et Ordinum Voto) annuit perbenigne Sua Majestas Caesarea et Regia; ut medio proxime instituendae Commissionis, adhibito etiam ad id Causarum Regalium Directore, vel alio idoneo Subjecto, Fisci Regii nomine; de modo et formalitate, ad Sacram Coronam Reincorporationis Inferioris Sclavoniae, Comitatuumque in ea existentium cognoscatur et determinetur; ad benignam Caesareo-Regiae Majestatis Ratificationem. *)

De libero Quaestu, inter Regna et vicinas Provincias exercendo; vinique inductione admittenda.

Articulus 119.

Sacra Caesarea Regiaque Majestas, liberi Quaestus inter Regna Croatiae et Sclavoniae, vicinasque ipsis Provincias, Exercitium; vinique Inductionem, quam commodissime fieri poterit; se procuraturam benigne obtulit et declaravit. **)

De Statutis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae hactenus confirmatis; et aliis per Suam Majestatem deinceps confirmandis.

Articulus 120.

Cum Occasione Confirmationis et Observationis Statutorum Municipalium praefatorum Regnorum, sub decursu praesentis Diaetae plures et variae subortae fuissent Quaestiones; Sacrae Majestatis Regiae, atque communi Statuum et Ordinum Voto decisum est:

§. 1. Ut Primo: Statuta eorundem Municipalia, Regia Authoritate specifice confirmata; in nullam amplius de sui validitate veniant Quaestionem.

§. 2. Secundo: Pariformiter etiam per Articulum 66. Anni 1681. generice confirmata (salvo duntaxat Privati cujuspiam ex eorum aliquo gravati, ad Regiam Majestatem recursu) itidem pro validis et firmis habeantur.

§. 3. Tertio: Quae neutro modo praedeclarato hactenus firmata fuissent; dispositio tamen eorum adhuc duraret; et pro futuro obligare posset; ea, et talia, intra Anni unius spatium, Suae Majestati Caesareo-Regiae producenda; examini et confirmationi, vel reprobationi Regiae subjiciantur.

---

*) Confirmatur et extenditur; An. 1741. a. 50.

**) Confer; An. 1741. a. 27. et 3. seqq.

§. 4. Quarto demum: In futurum condenda, si Jurisdictionem Regiam, aut Justitiae Administrationem, vel quoscunque Causarum Processus concernent; ad Regiam pariter deducantur Confirmationem; alioquin, tam haec, quam supramentionata alia, sub Classe tertia comprehensa; obligatoria non sint.

§. 5. Statutum vero, in novissima Eorundem Statuum et Ordinum Congregatione; de non recurrendo ad Generalem Regni Ungariae, et Partium Eidem annexarum Diaetam, praeterita prima Instantia; prout et aliud, de Vice-Comitibus, ab Assessoratu Tabulae Banalis excludendis; in medio Eorundem Statuum recenter conditum; eidem Considerationi ac Conditioni (percepto tamen, respectu posterioris, etiam Voto Comitis Bani) subjacebit; quibus reliqua Statuta hujus Articuli puncto tertio comprehensa subjecta sunt.

Judiciorum Octavalium et Tabulae Banalis, in Regnis Croatiae et Sclavoniae, singulis Annis celebratio resolvitur.

Articulus 121.

Administrandae Justitiae Zelo, et desiderio mota Sacra Majestas Caesareo-Regia (unanimi etiam Voto et Consensu Regnicolarum accedente) benigne annuit; ut ut renovato Articulo 28. Anni 1681. ibidemque citatis, Judicia Octavalia, tam majora quam minora, Appellationumque Revisiones, in Regnis Croatiae et Sclavoniae, Annis singulis, per Dominum Comitem Eorundem Regnorum Banum, vel eo legitime impedito; per alium, erga humillimum ipsorum Statuum recursum (percepto et hic antelati Comitis Bani voto) pro Arbitrio Majestatis Caesareo-Regiae, e gremio eorundem Regnorum Nationalem substituendum; Tabulae Banalis Assessoribus ad minorem numerum, quam fuerit hactenus, per ipsos Status juxta conditionem in Articulo immediate praecedente, de statutis appositam, praevie reductis; celebrentur: *)

§. 1. Ita nimirum; ut talis per Suam Majestatem Sacratissimam substituendus; et Assessores denominandi; sub poena non obtemperationis Mandatorum Regiorum, eadem Judicia respective promulgare; inchoare; et consuetis diebus continuare teneantur.

Pro Usu Salis, praesertim Maritimi; ex Frumenti permutatione consequendo.

Articulus 122.

Usum Salis Maritimi (pro tenore Articuli 29. Anni 1548. et Articuli 43. Anni 1635.) Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas, praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Statibus et Ordinibus clementer admisit;

§. 1. Extraneo tamen Sale omni, adeoque Styriaco etiam, per Cameram Graecensem recenter inducto; prorsus excluso.

---

*) Allegatur; An. 1729. a. 31.

§. 2. Nihilominus tamen, circa totum hoc Salis negotium, in praefatis Croatiae et Sclavoniae Regnis melius ordinandum; altefata Majestas Caesarea et Regia, finita praesenti Diaeta, protinus Commissionem deputabit, quae cum mentionatis Statibus et Ordinibus, collatis in hunc finem Consiliis, dispositiones instituet, determinabit et stabiliet.

De Officio Supremi Comitis Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis; Praeterea de Officio Protonotariali; querulosis item Processibus; Revocationibus Procuratorum; et aliis, in Articulo infra scripto recensitis.

Articulus 123.

Siquidem Officia, quae Authoritatem Regiam ex Jure et Lege tangunt, per Majestatem Regiam conferri et provideri oportet; inter qualia, cum et Officium Supremi Comitis Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis, esto quidem Vice-Banali Officio hactenus utcunque attributum, semper tamen, etiam in Officii Banalis Donationalibus, pro Collatione Regia expresse reservatum dignoscatur:

§. 1. Hinc Sacra Majestas Regia, dum Authoritate Sua in Collatione modofatorum Officiorum uti voluerit; benignam semper et praecipuam benemeritorum ex Statu sive Magnatum, sive Nobilium Praetendentium habitura est rationem.

§. 2. Pro hac tamen vice; ut modernus Vice-Banus, Officio etiam amborum praefatorum Comitatuum Supremi Comitis, adinstar Praedecessorum suorum fungi possit; eadem Sua Majestas Sacratissima benigne admittit; salvo semper, in Casu reperiendorum per Status hoc in passu quorumpiam Privilegiorum, ulteriori ad Suam Majestatem demisso recursu pro iisdem permanente.

§. 3. Quantum porro ad Protonotariatus Officium; Sua Caesareo-Regia Majestas, alterius quidem Protonotarii, moderno adjungendi necessitatem non agnovit.

§. 4. An autem unus ita constanter manere debeat, ut nec mutato, vel mortuo, Bano variari possit; id a Revisione allegati per Status Privilegii, coram Majestate Regia producendi, dependebit.

§. 5. Vice-Comitum porro et subalterna Comitatensia Officia, ut quolibet Triennio mutentur; et incompatibilia per unam eandemque Personam non gerantur; statutum est.

§. 6. Demum, quae circa querulosos Processus, Depositionem Causarum, Procuratorum Revocationem, Civitatum adversus Nobiles usurpatam Jurisdictionem, privatas Judicum Recognitiones limitandas et corrigendas, proposita fuerunt; ad universalem Legum in Articulo 24. declaratam Revisionem et Accommodationem relegantur.

De Revisione et Emendatione Legum et Processus Judiciarii.

Articulus 124.

Resolvit siquidem Sacra Majestas Caesarea ac Regia, pro parte modofatorum etiam Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Statuum et Ordinum; ut cum

Juris et Processuum in Ungaria per Deputatos *) in hunc finem Revisio et Emendatio peragetur; in praefatis etiam Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae ordinetur et peragatur; utrinque in proxima Diaeta, reportanda.

In Negotio Religionis, Articulus 23. Anni 1687. nunc etiam renovatur.

Articulus 125.

Erga iteratas Cleri, et memoratorum reliquorum Statuum, praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae declarationes, sub decursu praesentis Diaetae repertitim factas; Sacrae Caesareae et Regiae Majestatis benigna Resolutione, sic et unanimi Statuum et Ordinum consensu, atque Voto; Articulus 23. Anni 1687. renovatur et confirmatur. **)

De Civitatis Zagrabiensis, cum suis Concivibus dissensione revidenda et accommodanda; Juriumque suorum, atque Privilegiorum usu confirmando.

Articulus 126.

Benigno Assensu Sacrae Majestatis Caesareae et Regiae conclusum est; ut Libera Regiaque Civitas Zagrabiensis, in suis Juribus et Privilegiis, eorumque usu, imposterum etiam conservetur;

§. 1. Et praeterea, ut intestina ejusdem Civitatis, inter Magistratum et Communitatem suborta, et quasi jam a Triennio non sine multorum scandalo et gravioris, perniciosiorisque mali eventuri periculo vigentia Dissidia, per Majestatem Sacratissimam; tum ex gremio modofatorum Croatiae et Sclavoniae Statuum; tum ex parte Camerae Ungaricae ordinanda Commissione mediante; revideantur et complanentur.

§. 2. Qua Complanatione non succedente; et facta Commissionis Relatione; Sacra Majestas, Authoritate Regia, de Foro competenti, determinandarum earundem Dissensionum, clementer providebit.

De unione Superioris et Inferioris Civitatis Crisiensis.

Articulus 127.

Ut tandem Civitates, Superior et Inferior Crisiensis, pro tenore Articuli 103. Anni 1659. mediante Commissione, sub poena Florenorum Ungaricalium Quingentorum, toties quoties, per Partem renitentem incurrenda, uniantur; sancitum est. ***)

---

*) Deputati isti, nominantur supra, art. 24.

**) Denuo renovatur, imo et extenditur; An. 1741. a. 46.

***) Renovatur; An. 1723. a. 95. Ulteriori deliberationi subjicitur, ob renitentiam superioris Civitatis; An. 1741. a. 57.

§. 1. In locum autem demortuorum Commissariorum; modernus Episcopus Zagrabiensis, Comes Joannes Draskovich; et modernus Regni Vice-Banus, Daniel Rauch; ac Paulus Patachich (non obstante unius eorum absentia) pro Commissariis denominantur.

Civitas Segniensis, in Juribus suis conservetur; de praetensis Injuriis, sibi illatis, remedium consequatur; et Ablegatos suos, ad Aulam Suae Sacratissimae Majestatis, ac Diaetas et Congregationes Regni; expedire possit.

Articulus 128.

Ad lamentationem Civitatis Segniensis, contra Officiales Militares, de variis injuriis; manutenendisque Juribus et Libertatibus suis; ac Ablegatorum Suorum, ad Aulam Sacratissimae Suae Majestatis Caesareo-Regiae et Diaetam Regni Ungariae, ac Congregationes praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae exmissione, factam Instantiam decernitur;

§. 1. Ut praefata Civitas, in Juribus et Libertatibus suis, amodo imposterum conservetur; Ablegatosque suos (etiam Servitio Militari subjectos, facta apud Officiales Militares insinuatione et idonearum Personarum substitutione) tam ad Aulam Suae Majestatis; quam Diaetam Regni Ungariae et Congregationem praefatorum Regnorum expedire possit.

§. 2. Respectu praetensarum vero injuriarum suarum, in Gravaminibus allegatarum; ad Commissionem, Articulo 113. modernae Diaetae, expressam, remittitur; ubi earundem revisionem et determinationem consequetur. *)

CAROLI VI. IMPER. & REGIS III. DECRETUM II. ANNI DOMINI 1723.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De Metis, cum Vicinis Regnis et Provinciis rectificandis et revisis; effectuandis.

Articulus 17.

Sacratissima Caesarea et Regia Majestas, ad humillimam Statuum et Ordinum Instantiam clementissime admittit; ut circa Metarum inter Vicinarum Provinciarum et Regni Ungariae, Partiumque eidem annexarum Limites, hactenus peractae et nondum relatae Commissiones, referantur;

§. 1. A benigna vero approbatione pendentes; quantocyus ratificandas; Approbatas autem et ratificatas; finita praesenti Diaeta, immediate Executioni mancipandas; nondum vero celebratas; aeque finita Diaeta, Sensu Articuli 39. Anni 1715. et inibi citatorum, peragendas et concludendas; praeviaque earundem Relatione et Ratificatione, aeque Executioni mancipandas, benigne resolvit.

---

*) Urgetur; An. 1723. a. 88. §. fin. Confirmatur autem et extenditur; An. 1741, a. 56.

§. 2. Quapropter in praemissum finem Commissarii denominantur:

§. 6. Circa Styriam ex parte Croatiae et Carnioliae; Excellentissimus ac Illustrissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, Comes Emericus Eszterhazy, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Suae Intimus Actualis Consiliarius; Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Petrus Bakics, Episcopus Bosnensis, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Suae Majestatis Consiliarius; Comes Joannes Csicuuliny; Adamus Daniel Rauch, Vice-Banus: Magister item Joannes Branyug, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Protonotarius; Praeterea Georgius Czindery, Varasdinensis; et Adamus Oresky, Zagrabiensis et Posegiensis Comitatuum Vice-Comites.

De Tabula Banali.

Articulus 27.

In Regnis pariter Croatiae et Sclavoniae singulis Annis (exceptis Feriis et Juristitiorum temporibus) statoque suo loco et tempore, per Dominum Comitem Banum et universos Regnorum Status determinando: Tabula Banalis sub Praesidio Comitis Bani; aut eo absente et legitime praepedito; Locumtenentis, seu ejusdem Comitis Bani Vices-Gerentis (ad quam omnium Comitatuum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Causae, per Viam Appellationis deducendae erunt) celebretur;

§. 1. Taliterque et non secus, more etiam hactenus legaliter observato; per viam Appellationis et Transmissionis, in Tabulam Regiam; ac demum etiam abinde in continenti, ex antiqua Consuetudine in Septem-Viratum, Causarum Appellatae, earundemque Revisiones, legitime deducantur. *)

De Capitulis et Conventibus, eorundemque Officio et Personis adhibendis.

Articulus 39.

§. 13. Regii pariter, et Palatinales ac Banales; in Statutionibus vero Bonorum Praedialium, per Archi-Episcopos et Episcopos conferri solitorum, etiam Archi- et Episcopales Homines; universas Relationes, aeque sub Corporali Juramento, coram Locis fide dignis facere; easdemque cum Specificatione Anni, Diei et Mensis, propriis manibus subscribere obligentur.

Juramentum Regiorum, Palatinalium, Banalium et Archi-Episcopalium Hominum post Executionem deponendum.

Ego T. Juro per DEUM Vivum, et ejusdem Genitricium Virginem MARIAM, et per omnes Sanctos et Electos DEI: Quod ego in Executione et negotio mihi

*) Huc refer; An. 1729. a. 31.

vigore praesentium commisso, absque cujusvis Personae, Divitis scilicet et Pauperis acceptione; omnibusque prece, praemio, favore, amore, timore, odio et complacentia postpositis et remotis; fideliter processi; proutque res facta et executa est; aeque fideliter refero: Sic me DEUS adjuvet et Sancta DEI Evangelia.

De Banali Authoritate.

Articulus 87.

Ex benignissimo Placito Regio; Articulus 114. Anni 1715. quoad Authoritatem Banalem renovatur. *)

De Restituendo et Regno reincorporando Terreno, in quo Generalatus Varasdiensis illocatus fuerat; pluribusque Querelis ac Gravaminibus in Articulo 113. Anni 1715. comprehensis, Complanandis et in futurum tollendis.

Articulus 88.

Hoc quoque Puncto; data benigna Resolutione Regia humillime accepta; renovatoque et rursum confirmato Articulo 113. Anni 1715. ut tandem aliquando, ejusdem et in eodem specificatorum, desideratus, indilate amplius sequatur effectus; a parte Regni necessarii eatenus Commissarii;

§. 1. Et quidem pro Praeside; Dominus actualis eorundem Regnorum Banus, Comes Joannes Palffy; Dominus item Comes Joannes Draskovich: Dominus Comes Joannes Csikuliny, Suae Sacratissimae Majestatis Camerarius; Praeterea Regni ejusdem Vice-Banus, Adamus Daniel Rauch; Vice-Colonellus Nicolaus Mallenich; et Comitatuum Varasdiensis et Crisiensis, ex singulo videlicet unus Vice-Comes (non obstante unius, aut alterius absentia ac in locum absentis, alterius idonei Subjecti substituendi, penes Comitem Banum, qua Praesidem, manente facultate) mox finita praesenti Diaeta, cum reliquis, per Suam Sacratissimam Majestatem, a parte Augustae Ejusdem Aulae eo destinandis et effective exmittendis Commissariis, resolutam eatenus benignissimam Commissionem effectuaturi;

§. 2. Non secus de Lika et Corbavia, inferiorique Sclavonia, ad sensum Articuli 128. Anni 1715. cognoscenda cognituri, incorporanda incorporaturi et complananda complanaturi, abrogandaque abrogaturi, denominantur. **)

De Celebratione Judiciorum Octavalium Banalium.

Articulus 89.

Pro tanto celeriori in Regnis quoque illis, Juris et Justitiae Cursu, ac admini-

---

*) Denuo renovatur; An. 1741. a. 47.

**) Confer; An. 1741. a. 48. et 49. in quo hic articul. confirmatur.

stratione; in Casum absentiae, aut legitime impediti Domini Comitis Bani, qua alias Judiciorum inibi celebrandorum Octavalium, ex Officio, Praesidis;

§. 1. Locumtenens, seu ejusdem Domini Comitis Bani Vices-Gerens, aut alter quispiam, e gremio eorundem Regnorum, ad id aptus et idoneus, per Comitem Banum et Regnum (de Antiqua ejusdem consuetudine) pro Praeside, toties quoties necessum fuerit, possit ac valeat legitime denominari et constitui.

De publicorum Onerum Contumacibus et Refractariis supportatoribus; ad eadem compellendis.

Articulus 90.

Naturali siquidem ratione et aequitati conforme sit; illi, cui bonum Publicum commune est, onerum quoque publicorum supportationem suo modo communem esse debere;

§. 1. Qui igitur contumaciter talibus semet subtraherent et Jurisdictioni Regni subjecti essent; ut suis viis et modis eatenus adigantur et compellantur, justum omnino esse.

De abrogandis Tricesimatorum abusibus; Legibusque eatenus etiam ad Arendatores extendendis.

Articulus 91.

Articulo 13. et 51. praesentis Diaetae Regni Ungariae, benignissima Resolutio Regia; Regno quoque Croatiae et Sclavoniae communiter deserviet;

§. 1. Qui Articuli, ad quoscunque etiam Tricesimarum in Regnis illis Arendatores extenduntur.

De Confirmandis Praerogativis Nobilium unius Sessionis et Armalistarum.

Articulus 92.

Nobilium Campi Turopolya (prout et Armalistarum, ac unius Sessionis) Exemptiones, Praerogativas et Libertates, in quarum videlicet legitimo ac imperturbato usu, praefuissent et ad praesens usque persisterent; pro renovatis et confirmatis haberi. *)

§. 1. Familiae demum Draskovichianae, respectu Bonorum Sztenichnyak; ita et Comitissae Barbarae Erdödy occasione Dominii Bozilievo; non secus de praecavendis, remedendisque gravibus admodum Excessibus Status Militaris Capronczensis, Varasdiensis et Carlostadiensis; finita hac Diaeta, quantocyus coram

---

*) Confirmatur iterum; An. 1741. a. 60.

ordinata eatenus, benigneque resoluta Commissione Regia uberius remonstrandis; administrandaque eatenus Civitatibus Capronczensi et Varasdiensi, tam Arcensi, quam Civitatensi Jurisdictioni, aliisque, per utrumque praemissum, Varasdiensem videlicet et Carlostadiensem Generalatum, sive per praejudiciosam admodum Foenilium depascuationem, sive alias qualitercunque laesis et injuriatis, effectiva Justitia et Satisfactio, ad Commissionem supramemoratam, Articulo 88. remittitur, indubie effectuanda.

Ut Familia Erdödiana, in integrum Jurium suorum reponatur.

Articulus 93.

Justum esse agnoscit Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas, ut Familia Comitum Erdödy, in illam Montis Claudii, Bonorumque ac Jurium eo spectantium Possessionem, quam sub magnae memoriae Imperatore ac Rege LEOPOLDO, penes benigas Ejusdem Regias Resolutiones cum subsecuta Metarum, a circumadjacentibus Confiniis separatione ac distinctione, realiter ac effective obtinuit; per Commissionem 88. Articulo clementer resolutam ac ordinatam iterum reponatur;

§. 1. Aut eadem Commissione ne fors dilata, vel ex quocunque demum capite non procedente; ad avertenda Ejusdem Familiae gravia damna, totque Eidem illata praejudicia, per aliam, eum in finem, a Sacratissima Caesarea et Regia Majestate clementer ordinandam, finita praesenti Diaeta, quantocyus praemissa effectuentur; *)

§. 2. Confiniariique Ivaniczenses ac Crisienses, ab intentandis quibusvis Violentiis, Invasionibus et Occupationibus, taliterque inferendis Damnis; serio et districtim coerceantur.

De Nobilitate Trans- et Cis-Colapiana; qualiter illatas et ne fors inferendas sibi per homines, et Officiales Cameraticos injurias, legitimo Jure vindicare valeat?

Articulus 94.

In Illatis sibi per Homines et Officiales Bonorum antea Frangepaniano- et Zriniano-Fiscalium, ad praesens vero Camerae Graecensis, hactenus et ne fors in futurum inferendis, tam bene realibus, quam Personalibus, uti et mixtis injuriis; Nobilitas Trans- et Cis-Colapiana, uti et Maritima, Legali Juris via (Sua Majestate Sacratissima clementissime annuente) procedat;

§. 1. Et beneficio Articuli 44. Anni 1715. imperturbate utatur. **)

---

*) Confer; An. 1741. a. 51.

**) Allegatur; An. 1741. a. 52.

De Civitatis Crisiensis Unione.

Articulus 95.

Articulus 127. Anni 1715. in hac materia conditus renovatur.

§. 1. In Locum moderni Domini Comitis Episcopi Zagrabiensis (si commode adesse non poterit) Praepositus, aut alter e gremio Venerabilis Capituli Zagrabiensis, per modofatum Dominum Episcopum denominandus constituitur; Reliquis in eodem praecitato Articulo denominatis Commissariis, in suo Charactere manentibus:

§. 2. Qui mox finita Diaeta, delegata sibi eatenus Commissione fungerentur, examinatisque et cognitis utriusque ejusdem Civitatis Juribus, ante effectuationem Unionis, universa Partim inibi producenda Jura revideant et an ejusmodi Unio, absque convulsione Jurium et Privilegiorum unius, vel alterius ex praedictis Civitatibus fieri possit? cum Voto et Opinione suis, medio Inclytae Ungarico-Regiae Aulicae Cancellariae, praelibatae Suae Sacratissimae reportabunt. *)

CAROLI VI. IMPER. & REGIS III. DECRETUM III., ANNO DOMINI 1729.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De amotione Judaeorum, tam ex Confinio Sancti Georgii; quam et aliis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Locis.

Articulus 19.

Singularem Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Status et Ordines, de praesenti quoque Suae Majestatis Sacratissimae experti clementiam; quod Judaeos, in Confinium S. Georgii non ita pridem admissos, tam inde, quam et aliis praerecensitorum Regnorum ex Locis (si quae adhuc subintrassent) amovendos, suo loco, clementer demandare sit dignata:

§. 1. Pro qua, altememoratae Suae Majestatis Sacratissimae Clementia; iidem Status et Ordines, immortales reponunt gratias.

De effectuatione Articuli 114. An. 1715. in eodemque citatorum.

Articulus 20.

Quod Sua Majestas Sacratissima benigne resolvere dignata sit; semet congruum ordinaturam remedium, ubi specifici repraesentati extiterint Casus, in quibus

*) Confer; An. 1741. a. 57.

Articulus 114. An. 1715. in eodemque citati, infectuati mansissent; humillimas pariter praemissorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Status et Ordines reponunt gratias;

§. 1. Quos coram Sua Majestate repraesentare et declarare; minime intermittent.

Ut Dominus Episcopus Zagrabiensis modernus, tanquam Suae Majestatis Sacratissimae specialiter ad id delegatus, quarumvis, pro Ecclesiastica, aeque ac Seculari Juventute factarum, aliarumque Piarum Fundationum inspectionem habeat.

Articulus 21.

Ex Paterna, qua erga Juventutem fertur clementia, Apostolicoque erga pias Fundationes Zelo, benigne decrevit Sua Majestas Sacratissima; ut modernus Episcopus Zagrabiensis, tanquam Suae Majestatis Sacratissimae specialiter ad id delegatus, finita mox Diaeta, in sua Dioecesi habitarum Piarum quarumvis Fundationum, Seminariorum, item Convictuum et Collegiorum, pro Juventute Ecclesiastica aut Seculari destinatorum inspectionem; cum rationum quoque exactione et utrum Fundationi satisfiat? investigatione; instituat:

§. 1. Desuperque fidelem Relationem eidem Suae Majestati faciat; ac super eo; qualiter comperiendos ne fors defectus tolli, vel emendari posse censeret? opinionem quoque submittat; cum hujus executione, ad superventuram eatenus benignam Regiam Resolutionem praestolando.

De modo Transmissionis Causarum, in et ex Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae.

Articulus 31.

Ea, quae circa modum Causarum appellatarum, vel etiam Inappellabilitatem earundem, sub praesenti Diaeta constituuntur; Accedente benigna Suae Majestatis Sacratissimae annuentia, ad Causas quoque in Regnis Croatiae, Dalmatiae et Sclavoniae prosecutas, eo modo extenduntur; ut esto in iisdem Regnis, ex Sedibus Judiciariis Comitatuum, nec non ex Tabula eorundem Judiciaria, non directe in Tabulam Regiam, sed primum ad Tabulam Banalem, ad mentem etiam Articuli 121. An. 1715. et Art. 27. An. 1723. Causae appellentur;

§. 1. Quantum tamen ad modum (seu intra, vel extra, aut plane non transmissibilitatem earundem) tum Cimitatenses Causae, illo prorsus modo, quo hic ex Partibus quidem, ad Sedem Judiciariam Comitatus et ex hac, ad Tabulam Regiam; ibidem quoque ex Partibus, omnino ad Sedem Judiciariam Comitatus ac ex eadem, in Tabulam Banalem; prouti et quali modo, hic Causae Tabularum Districtualium, in Tabulam Regiam, eo pariter et non alio modo, ibidem quoque Causae Regnorum illorum, Tabulae Judiciariae, ex ipsa in Tabulam Banalem transmittentur, aut respective transmissibiles non erunt:

§. 2. Quae porro Causae, ac quali modo hic in Regno, ex Sedibus Judiciariis Comitatuum, aut ex Tabulis Districtualibus, in Tabulam Regiam Judiciariam transmittuntur, ac respective neque transmissibiles forent; ibidem pariter illae, illoque ac non alio modo, ex Tabula Banali, ad eandem Tabulam Regiam, transmitti debeant; aut respective pro non transmissibilibus observentur:

§. 3. Causae attamen, quae immediate in Tabula Banali suscitantur; intra Dominium semper Transmissibiles erunt; Solis Causis Activis Pauperum (Conditionem Paupertatis, ad mentem Articuli 51. An. 1563. sufficienti Documento edocere in Judicio valentium) nec non aliorum etiam Causis, Acquisitionem Florenorum quingentorum non excedentibus, exceptis; quae utriusque generis Causae, ex praedicta Tabula Banali (sive in iis primae Instantiae Judicem egit; sive in eandem via Appellationis deductae fuerint;) in saepe memoratam Tabulam Regiam, non intra, sed extra Dominium Partis Succumbentis, transmittentur.

§. 4. Intuitu autem Regnorum illorum remotioris situs, ne causantes eorundem, post etiam Causarum Suarum, factam in Tabula Regia Revisionem, diu expectandum a finali revisione, in Septemviratu subsequenda habeant; praefixio Terminorum, pro revisione Causarum illarum, per Tabulam Regiam designandorum, ita moderabitur; ut in tempus futuri Consessus Tabulae Septemviralis coincidat: Praetereaque Causarum istarum ea ratio habebitur; ut ex praedeclarata ratione, in Serie Causarum Transmissionalium, causantium intra Regnum hocce residentium Causas, praecedant. *)

Ut Causam Appellans et in Foro Superrevisorio Succumbens; ad refundendos Parti Triumphanti sumptus et neglectos per eandem fructus; obligetur.

Articulus 32.

Ne supervacaneis Sententiarum, ad Forum altius provocationibus, cursus Justitiae remorari; causantesque vexari ac damnificari; imo ipsi etiam Judices inaniter onerari debeant;

§. 1. Aequitati consonum foret; ut, si equidem in Causa extra Dominium Appellantis transmissa, ipse deinde in ultimo Superrevisorio Foro triumphaverit; eidem fructus, medio tempore ab adversario percepti (paritate quoque Articuli 23. An. 1613. cum annexis oneribus, si quae forent) resarciendi veniant:

§. 2. Econtra nihilominus, si Causam Appellans, eademque ad Curiam Regiam intra Dominium deducens, ibidem succumbat; ad refusionem aeque Fructuum, per Triumphantem percipi neglectorum; sed et sumptuum eidem causatorum, obligetur;

§. 3. Ea tamen cum restrictione; ut, si in Casibus, intra, vel extra Dominium admittendarum Appellationum, is, qui in Foro Superrevisorio (Tabulae utpote Septemviralis) succubuit, priusquam Causa eo per gradus devenisset, ad

---

*) Modificatur praesens art. An. 1741. a. 58. Confer. Tyroc. Jur. Ung. p. 3. t. 6. §. 23. et seqq.

minus unius Fori Sententiam sibi favorabilem consecutus fuerat: pro temerarie ac indebite Appellante censeri non debeat; ac per consequens; neque ad sumptuum (nisi forte Causa eosdem refundi de natura sui exigat) neque ad Fructuum refusionem obstringatur.

§. 4. Caeterum, iidem sumptus et fructus, a die interpositae Appellationis, usque ad diem Executionis peragendae computandi; ac Judicialiter, vel statim in Regia Curia, vel secus (eadem ita deliberante) per Judicem Executorem; praevia sufficienti liquidatione, limitandi erunt:

§. 5. Respectuque Causarum Comitatensium, tempus Appellationis, quantum ad praedictam refusionem sumptuum et fructuum; non in Partibus, coram Vice-Comite, aut Judice Nobilium factae; sed ejus primum, quae post Revisionem, in Sede Judiciaria Comitatus interposita esset; intelligetur.

§. 6. Praesensque Constitutio, ad illas quoque Appellatas, quae jam ad Curiam Regiam deductae quidem, nondum tamen decisae ibidem essent, eo modo extendetur; ut, si quis a dato emanationis praesentium Articulorum, intra decursum trium Mensium, Appellatae Suae, coram Tabula Regia Judiciaria cesserit; hoc ipsumque Parti Appellatae, sive per Juratum Notarium ejusdem Regiae Judiciariae (aut Respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banalis) Tabularum; aut per Judicem Nobilium; vel saltem duas Nobilitares Personas, notificari curaverit; praedicto oneri refusionis fructuum ac sumptuum subjacere non debeat.

De Repulsione.

Articulus 33.

Pro clariori Tituli 76. Partis Secundae Tripartitalis intellectu declaratur:

§. 1. Quoniam naturae Causarum brevis Processus repugnaret, ut eaedem ex uno Termino in alium, facto Partium prorogentur; itaque remedium Repulsionis, non nisi Causis longae Litis, in Curia Regia discuti solitis (idque neutiquam in ultimo, sed anterioribus duntaxat earundem Terminis) competere posse;

§. 2. Id tamen de Repulsione proprie dicta, seu in quantum pro Juridico remedio sumitur; intellectum esto:

§. 3. Nam licet contextus praedicti Tituli, etiam in Casibus, aut non praehabitae Citationis Judiciariae; aut Executionis, ad Bona Processui Judiciario non inclusa extensae; Repulsionem admittat; haec nihilominus Repulsio, neutiquam pro Repulsione formali, vel proprie dicta, sed potius (uti jam appellari consuevit) pro Oppositione sumenda veniret:

§. 4. Quae caeteroquin improprie dicta Repulsio, seu Oppositio, dummodo non fiat cum Gentibus; ex vi defensae naturalis, non in praedictis tantum casibus; sed etiam ubi Judex in Causa, evidenter intra Dominium tantum Transmissibili, Appellatam intra Dominium non admittit, verum Executionem intentat, in Causis etiam coram Pedaneis Judicibus vertentibus, absque onere, aut poena aliquali admittetur:

§. 5. Ac per consequens, Articulus quoque 11. An. 1630. quoad Casus duntaxat illos, modo praemisso Oppositionem admittentes; non autem respectu Repulsionis proprie dictae; deinceps observandus erit.

§. 6. Ubi porro formalis, ac proprie dicta Repulsio institueretur; nisi ejusdem ratio sufficiens in Judicio deinde reddatur; onus illius, ad mentem Tituli 73. Partis Secundae Tripartitalis, in Florenis Septuaginta duobus, in duabus Judici, in tertia vero partibus Parti, contra quam Repulsio fieret, cedentibus; deponi semper debebit.

§. 7. In quantum porro nunc citatus Titulus 73. Repulsionem, etiam post definitivam Sententiam fieri posse innueret; eatenus pro tali duntaxat Casu, si non in ultimo; sed prioribus Causae Terminis, Sententiam definitivam intervenire contingat (in iisdem enim etiam post Appellatam, Repulsioni locus esset) intelligendus veniet.

§. 8. De caetero, quoad modum Repulsionis, Tituli 74. et 75. praecitatae partis Secundae: nec non quoad, Bona, contra Repulsionem occupantes; Articulus 19. Uladislai Decreti quarti, observabuntur.

De Oppositione adversus Judiciarias Sententias; et Bonorum Judicialiter executorum Reoccupatione.

Articulus 34.

Cum Repulsionis remedium, nulli Causae Pedaneorum Judicum, sed in Curia Regia, nonnisi Causis longae Litis, idque ante ultimum earundem Terminum competat: Oppositio autem, directe Judiciario cursui adversetur: Ac proinde ad tollendas confusiones, in Processibus Brachialibus, (ubi potissimum cum assumptione Gentium instituendi venirent) emergibiles; statuitur:

§. 1. Ut, si quis extra Casus, praedicto modo, ipsam etiam Oppositionem, aut Repulsionem formalem admittentes, Judiciariam Executionem non admittat; eandemque turbet; aut Bona executa reoccupare attentet; praemissa ipsius, absque ullo etiam Mandato, penes solum Partis laesae actionalem Libellum, in praesentiam illius Judicis, qui in Causa processit, Citatione; compertaque sufficienter illiuscemodi Executionis Judiciariae non admissionis, vel turbationis, aut Bonorum executorum reoccupationis (ut praemissum est) extra Casus superius declaratos factae, veritate; in poenis et oneribus Articuli 31. An. 1651. illico convincatur;

§. 2. Ac pro exequendorum Executione, ac assignandorum Parti Triumphanti assignatione; in Causis quidem, coram Tabula Regia Judiciaria, vel respectu Regnorum Croatiae, Dalmatiae ac Sclavoniae Banali motis, ex illa quidem unus e Magistris Protonotariis, ex hac autem, aut pariter Magister Proto-Notarius, aut unus ex Assessoribus; in Causis porro Tabularum Districtualium, nec non in praedictis Regnis, Tabulae eorundem Judiciariae, unus ex Assessoribus; in Causis demum Comitatensibus, facta praevie illarum in Sedibus Judiciariis relatione, is, cui de more competit; exmittantur;

§. 3. Quos, si non admittat; vel in peragenda Executione turbet; aut medio, ipsorum executa Bona reoccupet; in Curiam Regiam superinde citatus; ibidem veritate praemissorum, seu ex ipsa evidentia facti, adeoque notorietate Possessionis, seu Recognitione Judicis exequentis, seu alias etiam sufficienter comperta; in poena Majoris potentiae, amissione nimirum Capitis, vel Bonorum, mobilium aeque ac immobilium, ad Portionem Rei pertinentium; horum quidem

communi aestimatione mediante redemptibiliter, illorum vero simpliciter, ipso facto convincatur; executioque tam hujus, quam etiam priorum impeditarum Sententiarum, per exmittendum Magistrum Proto-Notarium peragatur.

§. 4. Eo tamen respectu Causarum, Tabularum Districtualium, nec non quoad praedicta Regna Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, respectu Tabulae eorundem Judiciariae declarato; quod in casu, quo ne forte in Causa evidenter non extra, sed intra Dominium Transmissibili (non obstante Partis Convictae Appellatione) Executio intentaretur et contra eandem Oppositio subsequatur; eotum vi Appellatae interpositae, Causa praevie in Foro Superrevisorio, Curia quippe Regia, vel respective Banali discuti et accessorialiter ipsum etiam factum Oppositionis cognosci ac decidi debeat: Qua occasione, si Oppositio, vel Bonorum executorum Reoccupatio approbata non fuerit; eandem attentans, in praedicta Curia Regia, aut respective Tabula Banali, in praedeclaratis poenis Articuli 31. An. 1681. pariter convincetur.

§. 5. Si quo casu autem, post huiuscemodi Convictionem, Executioni (praevia remissione, ex Curia Regia, Causae) medio exmittendi Assessoris Tabulae Districtualis, vel respectu praedictorum Regnorum Croatiae, Dalmatiae ac Sclavoniae, eorundem Tabulae Judiciariae, instituendae, semet denuo opponeret; modalitate jam praedeclarata, Poena Majoris Potentiae, in praememorata Curia Regia; aut respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banali pronunciandae; subjacebit.

§. 6. Id quod etiam ad Causas, impedimento hujuscemodi indebitae Oppositionis, actu inexecute haerentes; extendendum veniet.

De Judicatu Comitatensi.

Articulus 35.

Articulo 28. Anni 1715. Sua Sacratissima Majestate benignissime annuente, superadditur:

§. 1. Ut Causae Pignorum, quando Bona uni et eidem Comitatui adjacent, etiam ad Summam indefinitam, in Comitatu adjudicari possint.

§. 2. Et quia Sedes Judiciariae Comitatus continuo celebrari nequirent; idcirco (exceptis Causis Criminalibus; nec non iis et talibus Magistratualibus, seu Politica tangunt; nec non contra Dimissores Malefactorum, aut adversus Terrestres Dominos, Urbaria excedentes;) caeterae omnes Causae, etiam in Partibus, per Vice-Comites ac respective Judices Nobilium revideri, et decidi valeant;

§. 3. Appellatione ad Sedem Judiciariam Comitatus, pro qualitate Causarum, partim intra, partim extra Dominium, Salva permanente.

§. 4. Judicatusque Vice-Comitum, in Causis quidem Liquidorum Debitorum, ad Summam Duodecim Millium Florenorum, pure in Capitali computatam; in Causis autem Pignorum, usque ad Summam indefinitam: Judicum Nobilium autem, sive in Liquidis Debitis, sive in Pignoribus; tantum ad Summam Florenorum trium Millium, aeque respectu Capitalis tantum intelligendam, procedere valeat.

§. 5. Econtra vero, in Causis infra Florenos Ducentos, sive Liquidorum Debitorum, aut Pignorum, sive Divisionum, Successionum, sive aliarum id genus Causarum; soli Judices Nobilium et non Vice-Comites procedent:

§. 6. Causae tamen Violentiarum, cum desumenda Poena Violentiae; soli Vice-Comitum Judicatui semper subjacebunt.

§. 7. Caeterum, Judicatus Judicis Nobilium uniuscujusque; quoad Juridica, ad omnes promiscue Parochias, seu Processus Comitatus extendetur.

§. 8. Eo praemissis annexo; quod Causis Comitatensibus, seu in Sede Judiciaria, seu in Partibus prosecutis, beneficium suspendendae, respectu ex non comparitione in Judicio Convictorum, usque Decimum quintum diem Executionis, in Articulo 32. An. 1723. declaratum, tanquam contextu quoque nunc dicti Articuli, ad Forum Comitatense (prouti alioquin etiam, ex continuo ac fixo aliquo Consessu non consistens) neutiquam extensum; deservire nequeat.

§. 9. Quibus praemissis; Regnorum quoque Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Comitatus, illorumque Judices semet conformabunt.

Quod ad obtinendam rectificationem, vel novam Divisionem procedere, intra legales triginta duos annos comittente; Praescriptionem incurrant.

Articulus 36.

Ne inter Condivisionales et Sanguine junctos, praetextu Novarum Divisionum, aut Rectificationum, fomites Litium (ad quas persaepe, non tantum cum inani jactura fatigiorum et sumptuum; sed etiam cum alienatione et exulceratione animorum prorumpere, invicem consueverunt) quadantenus immortales esse debeant, statuitur:

§. 1. Ut a tempore initae Divisionis, intra triginta duos Annos quidem, a Praescriptione non exemptos, ex Causis legitimis et sufficientibus, adeoque ad mentem Titulorum 45. et 46. Partis Primae Tripartitalis, suo modo et ordine, ad Divisionis Rectificationem, coram Comitatu; aut respective Tabula Districtuali; nec non in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, coram Tabula Judiciaria; vel ad ineundam Novam Divisionem, coram Regia Judiciaria, aut in praedictis Regnis Banali Tabulis, procedi valeat:

§. 2. Si tamen Divisionem semel iniens, ipse, vel ejus Successores, intra praedictos Annos, Causam (ut praemissum est) ad obtinendam Novam Divisionem, vel Rectificationem non suscitaverint; post effluxum deinde praedeclaratorum triginta duorum Annorum neque ad Rectificationem, neque ad Novam Divisionem procedere queat; verum Actioni talium praescriptum esse intelligatur.

§. 3. Eo tamen respectu Pupillorum expressim declarato: Ut quoad ipsos, Anni Praescriptionis, exmissis aetatis Statum, seu aetatem sedecim Annorum, nondum attingentis Annis (a tempore tamen initae Divisionis semper computando) intelligantur.

§. 4. Porro, sub titulo et colore Rectificationis; ad Divisionem, in ipsis Substantialibus alterandam, vel mutationem Portionum Divisione mediante obvenientium, procedi neutiquam valeat; verum id ipsum, ad Processum duntaxat

Novae Divisionis (si forte ipsae Partes, occasione Divisionis, alio modo expressim non accordassent) pertineat;

§. 5. Et per consequens; via et Processu Rectificationis, non aliud; quam ad errorum, si qui occasione Divisionis, praeter mentem ac suppositum dividentium, quoad aliquas particulas contigissent (puta: si pratorum, agrorum, vinearum, fundorumque quantitas, aut qualitas; vel Subditorum numerus et id genus alia Divisionem erronee ingrederentur) emendationem; eamque, Substantia Divisionis omnino in suo esse relicta; vel ad redintegrationem eorum, quae post Divisionem per alios Judicialiter, aut etiam temporum injuria sunt avulsa (non obstante accorda) quoad errorem procedi possit.

§. 6. Talis attamen Rectificatio, sive in Divisione per expressum reservetur, sive non; parti eandem prosequi volenti, infra tempus praedeclaratae Rraescriptionis, semel admitti debeat.

De Prohibita.

Articulus 38.

Prohibitae, in favorem Causantium, ut quippe vel absentes, interea accurrant; vel etiam praesentes respirium summant, per Legem introductae; ac juxta Articulum 65. An. 1681. ad duas reductae; deinceps etiam eo modo suum cursum habiturae sunt;

§. 1. Ut in Causis, praecise coram Regia Curia, nec non respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Tabula Banali vertentibus; omnino duae (respectu tamen decursus integrae Causae collective, non autem singuli Termini, computando) et quidem prima absque; secunda cum onere Sex Florenorum, in una Tertialitate Parti adversae, caeterum autem Judici cedente; admittantur.

§. 2. Usus tamen earundem; semper ante ultimos sex dies Judiciorum, observandus veniet.

§. 3. Appellationi autem (Praxi jam usu recepta) absque omni Prohibitae remedio, simpliciter cedi per Appellantem valeat;

§. 4. Vel, si ante ultimum Causae Terminum, in Causam attracto, per Judicem forte absoluto, a parte Actoris appelletur; ac in Foro Superrevisorio in Causam attractum succumbere contingat; eidem eotum ad remedium Repulsionis, si vellet, recurrendum esset: Ac per consequens; moderno jam usu, in Appellatis, Prohibitarum necessitas, aut locus, non amplius esset.

§. 5. Caeterum; praeter praedeclaratas duas Prohibitas, etiam beneficium Articuli 32. An. 1723. respectu eorum, qui legaliter impediti, non pro ipsa prima die praefixi Termini. verum postea tantum, intra subsequos quindecim dies comparerent; ad Causas quoque Curiae Regiae, ac respectu dictorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Tabulae Banalis, extendetur; ac praeterea Tabulis Districtualibus et in praememoratis Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, eorundem Tabulae Judiciariae (neutiquam tamen aliis Foris) competet.

§. 6. In quibus quidem Districtualibus ac Judiciaria Tabulis, modalitate in eodem Articulo 32. An. 1723. praescripta; in Curia vero Regia et Tabula Banali, taliter observabitur: Ut si tales, absentiae Suae legitimam rationem as-

signare queant; Sententia contra eosdem interea lata, ipso facto, absque omni onere, pro infecta habeatur, ipsique Causam continuare, absque ulteriori certificatione valeant:

§. 7. Si autem ratio illiuscemodi absentiae, in Judicio legitimata non fuerit; et Causa plurium Terminorum extiterit; Causam quidem aeque continuare eo etiam in casu poterunt; verum expensas morae, Adversario refundere obligabuntur:

§. 8. Si tamen Causa, natura sua unius Termini extiterit; non assignata legitima ratione non comparitionis, non tantum sumptus praedictae morae refundentur; sed etiam Literae Sententionales et Executionales, cum insertione Clausulae; ABSCISSIS CUNCTIS JURIDICIS REMEDIIS: extradabuntur; ac per consequens; Pars illiuscemodi convicta, Causam nonnisi beneficio Novi Judicii, extra Dominium resuscitare poterit.

De Revocatione Procuratoris.

Articulus 39.

Pro clariori Titulorum 79., 80. et 81. Partis Secundae Tripartitalis, intellectu observabitur:

§. 1. Ut in Causis Curiae Regiae, nec non respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Tabulae Banalis, iisque longae Litis; in ultimo quidem Termino earundem, nonnisi ante definitivam Sententiam; in anterioribus tamen Terminis, etiam post Sententiam, esto meritoriam, Procuratores revocari possint.

§. 2. In Causis autem brevis Litis, sive in praedictae Curiae Regiae, ac respective Tabulae Banalis; sive alio quocunque Foro; semper ante definitivam Sententiam, praedicta Procuratoris Revocatio observanda veniet.

§. 3. De ultimo enim omnino Causae Termino, praedictus Titulus 77. Partis Secundae Tripartitalis, loqui intelligendus veniret;

§. 4. Et alioquin in Causis plurium Terminorum, priusquam ad ultimum Terminum deveniant; Sententiae beneficio Juridicorum remediorum infringibiles essent; ac per consequens; Tituli etiam 80. et 81. praecitatae Partis Secundae Tripartitalis, in quantum in Causis brevibus et cum insinuatione motis, Revocationem Procuratoris, post Sententiam quoque definitivam admittere viderentur; mere in eum casum et usum sumendi erunt; quo quis in Causa brevis Litis, post Sententiam quidem definitivam, Procuratorem revocaret, Executionem tamen ejusdem non sisteret; verum Causam extra Dominium, beneficio Novi Judicii resuscitare vellet.

§. 5. Caeterum, si quis Procuratoria Revocatione utatur; revocatas priores Procuratoris Allegationes, deinde reiterare nequeat; sed eas, aliis statim et in continenti, supplere obligetur.

§. 6. Excepto Casu; quo Procurator, neglectis incaute Depulsoriis mediis, semet in ipsum meritum Causae praecipitanter immitteret, ac ex ea ratione deinde revocaretur: Hoc enim in casu, si quas interea rationes et Probas, meritum Causae respicientes, induxisset; iisdem Principalis suus (si necesse habuerit) etiam post Revocationem uti valebit.

§. 6. Si quis autem non sub eodem, sed nonnisi sequenti Termino Judiciorum, Procuratoris Revocationem adhibere vellet (Causaque non facto ipsiusmet Judicis, seu per consuetam Judiciariam rejectam, in alium Terminum extensa, prorogataque extitit) nisi praeterea remedium aliquod Juris tale, quod Executionem per se sisteret, adhibeat; Revocationique Procuratoriae conjungat; praedicta Procuratoris revocatione, non alias uti, quam cum onere quinquaginta Marcarum gravis ponderis, poterit.

§. 7. Praemissis, eo etiam adjecto: Quod Revocatio Procuratoris, post Productionem quoque Literalium Instrumentorum, admittenda veniat; verum non alias; quam cum personali ipsusmet Causantis, *) vel sui Plenipotentiarii adstantia fieri debeat.

§. 8. Causam tamen continuare; Revocatus quoque Procurator (seu qui prius allegaverat) absque nova etiam Procuratoria Constitutione, possit.

De Depositione Causae.

Articulus 40.

Depositio Causae, omnibus Foris et Causis competit; cum onere, in Regia, vel Banali, nec non Districtualibus, aut Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Judiciaria Tabulis; Florenorum sex; in Foro autem Sacrae Sedis, Comitatensi ac Civitatum; Florenorum trium.

§. 1. In Causa tamen, in qua ex onere Birsagiali Adversarii, Actor participavit, ad mentem Tituli 83. Partis Secundae Tripartitalis, nullo modo; in Actibus vero Violentiarum, poenae, indebitae obnoxiis; praecise in prima Causae instantia (id est: Causa in praeliminaribus adhuc, esto Meriti versante, sive uti jam praxis obtinuit, usquequo Adversarius infligendam Actori poenam indebitae non petat) in Causis porro, poenae calumniae obnoxiis; nonnisi ante Literalium Instrumentorum, Causae Decisionem finalem tangentium, productionem; ad mentem Articuli 23. An. 1547. admittatur.

§. 2. Praeterea vero, aequitati consonum censetur; ut Actor, qui Causam non prius, verum Adversario jam pro Termino comparente deponit; causatas per eundem a Motione Litis, usque ad ipsam Depositionem Expensas (praehabita illarum, coram eodem ipso Judice, coram quo Depositio fieret, liquidatione) praevie, instantaneeque refundere in Causam attracto teneatur; neque secus Depositio admittatur. **)

§. 3. Imo; esto non ille, qui causam movit; sed primum suus Successor, in se devolutam Causam deponat; adeoque ipse, tanquam ob factum non proprium, sed alienum, poenali, ob motionem Litis, oneri non subjaceat; Refusioni tamen Expensarum, etiam per Praedecessorum suum causatarum, obnoxius erit; siquidem Expensae, venirent in Actionem Rei persecutoriam; ubi Haeres praestat factum defuncti.

---

*) Confer; Ulad. Decr. 4. a. 13.

**) Simile quid statutum erat. An. 1655. a. 53.

MARIAE II. REGIS DECRETUM PRIMUM, ANNO DOMINI 1741.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De Clausula Diplomatis: Prout super eorum usu et intellectu, Regio ac communi Statuum Consensu Diaetaliter conventum fuerit; ad fundamentalia Jura, Libertates, Immunitates et Praerogativas Statuum et Ordinum Regni nullatenus extendenda.

Articulus 8.

Erga benignam Sacrae Regiae Majestatis Declarationem Sancitum est; fundamentalia Jura, Libertates, Immunitates et Praerogativas Statuum et Ordinum Regni Hungariae, Partiumque ei annexarum, signanter in Tit. 9. Part. 1. Operis Decr. Tripart. et Artic. 6. Anni 1723. velut in perpetuum ab omni Contributione ipsos eximentibus, adeoque eatenus etiam; ne Onus publicum Fundo quoquo modo inhaereat, eosdem immunitantibus ac avito quoque usu firmatis, expressas, (cum alioquin etiam per Art. 3. Anni 1715. super eo. quod ad normam aliarum Provinciarum non gubernabuntur, praecauti et assecurati existant) sub sensum Diplomati insertae, de Usu et intellectu Legum sonantis Clausulae, nullatenus sumi posse.

De Rebus et Negotiis Hungaricis; per Hungaros tractandis.

Articulus 11.

Devotissimis animis exceperunt Status et Ordines benignissimam Sacrae Regiae Majestatis Declarationem, qua mediante clementer exposuit; se eo singulari affectu et propensione erga Gentem Hungaram ferri; ut ne dubitari quidem possit, quin eam non modo cum reliquis in pari decore, honore et existimatione conservare; sed et alias Regiam Benignitatem, Maternumque affectum suum in promovendum Regni quoque hujus incrementum dirigere dignabitur.

§. 1. Quae insimul id quoque clementer resolvit; quod nimirum Res et Negotia Regni tam intra, quam extra Regnum per Hungaros tractabit, tractarique faciet.

§. 2. Ac proinde, in Augusta quoque Aula sua, in his, quae a concessa Sibi Suprema Potestate dependent, pro altissimo Judicio, Regioque Munere suo, fidelium Consiliariorum suorum Hungarorum opera et Consiliis utetur:

§. 3. Imo dum magis ardua negotia pertractanda occurrerint; Regni primatem et Palatinum, aliosque e Regni Proceribus ac Regnorum etiam Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banum, dum praesertim de Rebus, Securitateque eorundem Regnorum agendum foret; in Augustam Suam Praesentiam advocari curabit, talismodique Negotia cum illis conferet:

§. 4. Et ad ipsum etiam Status Ministerium, Nationem Hungaram adhibere dignabitur.

De Transylvania; Reapplicatione item et Reincorporatione Comitatuum, Districtuum et Locorum ad Regnum Hungariae spectantium.

Articulus 18.

Publicis etiam Constitutionibus Regni inserendum resolvit benigne Sacra Regia Majestas;

§. 3. Ut porro Loca etiam, Militaria dicta, in Bacsiensi, Bodrogiensi, Csongradiensi, Aradiensi, Csanadiensi et Zaradiensi Comitatibus sita, Jurisdictioni Regni et Comitatuum restituantur et subjiciantur; atque Districtus Tömössiensis, Sirmiensis et Inferioris Sclavoniae, utprimum Res in magis tranquillum statum repositae fuerint, Regno pari modo reincorporentur et ejusdem Jurisdictioni submittantur: Commissarii eum in finem per Sacram Regiam Majestatem ordinabuntur:

§. 4. Et ex parte Regni istius, Commissarios pariter Dominus Comes Palatinus nominabit; ex parte vero Sclavoniae; Dominus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, cum Statibus et Ordinibus eorundem Regnorum.

§. 5. Qui in praeatactis Tömössiensi, Sirmiensi et Inferioris Sclavoniae Districtibus, nec non aliis Partibus finitimis; Terrenum pro Regulandis Confiniis aptum et sufficiens designabunt, Confiniariisque ad habitandum et obeunda inibi Munia ita assignabunt; ut in finibus, non permixti aliis Contribuentibus, subsistant; atque Terreno hoc, modalitate praevia exciso et assignato; residuum Jurisdictioni Comitatuum, in omnibus de pleno subjicient;

§. 6. Suaque Regia Majestas, Comitatibus Regni, in Partibus illis, sitis; Supremos Comites praeficere dignabitur.

De una, eaque sola vera Romano Catholica Fide, in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae ultro conservanda.

Articulus 46.

Singularem Suae Sacrae Regiae Majestatis in DEUM Optimum Maximum pietatem et in perpetuo fideles suos Subditos, ex unius et solius verae in praefatis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis Diplomatice, et Articulariter stabilitae et nulla penitus alia admissa, aut tolerata servatae, ipsoque Christi Domini Sanguine irrigatae et fundatae, atque per Apostolos et Sanctos Ecclesiae Patres traditae Romano-Catholicae Fidei, et Religionis unione principalem et summam conjunctionis animorum, atque adeo intrinsecae non tantum suae, sed et vicinarum Suae Sacrae Regiae Majestatis Provinciarum Conservationem et felicitatem, et hactenus expertos et in futurum quoque indubie experturos vere Maternam Clementiam venerabundi agnoscunt Status et Ordines; dum erga unanimen Statuum et Ordinum Regni Hungariae, Partiumque eidem annexarum Supplicationem

et augendum verum DEI Cultum, et promovendam uberiorem in dies ejusdem misericordiam et benedictionem, clementissime, atque sanctissimae annuere dignata est; ut Statuta eorundem Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum, in favorem et conservationem Orthodoxae Religionis condita, occasione hujus Diaetae confirmentur.

§. 1. Ex hac proinde Sacrae Regiae Majestatis benignissima, aeque, ac pientissima Resolutione, sic et unanimi Statuum et Ordinum Consensu et Voto; Statuta eadem confirmantur.

§. 2. Et veluti juxta Artic. 86. Anni 1723. in eodemque citatos et hicce etiam confirmatos, dispositum jam esset; ut in Districtu eorundem Regnorum non alii, quam Romano-Catholicam Religionem profitentes, Possessionis Bonorum sint capaces; ita Officiales Oeconomici Dominorum Terrestrium a Fide Orthodoxa alieni, in antelatis Regnis Administrationis quoque Bonorum incapaces esse declarantur.

§. 3. Quo vero ad Varasdinensem et Carlostadiensem Generalatus semet facturam, benignissime Sua Sacra Regia Majestas declaravit; ne inde quoque dictae Orthodoxae Religioni quodpiam eveniat praejudicium.

§. 4. Metropolitae porro Graeci Ritus non Unitorum, in Districtu praefatorum Regnorum. nulla utique in antelati Ritus Clerum et Populum admittetur Jurisdictio.

§. 5. Quod autem concernit Episcopi Szvidniczensis cum Ecclesia Catholica Uniti, ex Monasterio Marchensi exclusionem; aliosque contra Simeonem Philipovich insinuatos Excessus; fundate indagari curabit, superindeque condignam animadversionem et praeterea damnificatis competentem reparationem decerni faciet Altefata Sua Regia Majestas;

§. 6. Id etiam curatura; ut quoadusque alii etiam Episcopi Graeci Ritus non Uniti ibidem perstiterint; ab omni Excessu et Confusione sese continere debeant.

De Authoritate Banali.

Articulus 47.

Annuente benigne Sua Sacra Regia Majestate, communi Statuum et Ordinum Voto; praefatorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Banus, amodo imposterum, a potiori intra Limites Regni permansurus; in plenam et Legalem Authoritatem, atque Jurisdictionem, juxta etiam Articulos 114. Anni 1715. et Art. 87. Anni 1723. hic Loci confirmatos. reponendus. atque in eadem conservandus statuitur.

De Exemptione ab Hybernis, Transennis item et Condescensionibus Militaribus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae.

Articulus 48.

Quod Sua Sacra Regia Majestas, varia tam Pacis, quam et Bellorum temporibus,

perpetua et nunquam contaminata fide, fidelitate et devotione, in propaganda, et Armorum, et Sceptrorum Gloriosissimae Augustissimaeque Domus Suae Austriacae felicitate, semper et constanter per praefatorum Regnorum Status et Ordines praestita Servitia, clementissime recognoscere; atque intuitu talium, fundamento etiam Benignissimi Diplomatis Leopoldini, eosdem extra casum summe urgentis Necessitatis, a supportandis Hybernis, Transennis item et Condescensionibus Militaribus exemptos, et immunes semet relinquere et conservare velle, benignissime resolverit; in eo Altefatae Suae Regiae Majestati praefatorum Regnorum Status et Ordines, immortales summa animorum cum devotione referunt gratias.

Articulus 113. Anni 1715. et Art. 88. Anni 1723. de Varasdiensi et Carlostadiensi Generalatibus confirmantur.

Articulus 49.

Erga benignum Sacrae Regiae Majestatis Consensum et annuentiam Art. 113. Anni 1715. et Art. 88. Anni 1723. ultro confirmantur;

§. 1. Et siquidem ordinatae inibi Commissiones, circa interventos Militarium in Varasdinensi et Carlostadiensi Generalatibus existentium Excessus, debitum ad praesens effectum haud produxissent; eae per Sacram Regiam Majestatem fient Dispositiones, ut Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, cum illis, qui pro tenore citati Artic. 88. ad latus ejus denominabuntur; necnon Deputati praefatorum Generalatuum, primo, quo fieri poterit, tempore consideant, atque insinuatos quosvis ibidem Excessus, pro justo et aequo determinent;

§. 2. Interea autem et donec illa Commissio consederit, ac operari poterit; omnis facti Via sistetur; imo et recentius taliter occupata; Sacra Sua Regia Majestas restitui benignissime demandabit.

De Reincorporatione Inferioris Sclavoniae.

Articulus 50.

Illud, quod formalitate supra in Articulo 18. denotata, ex inferiori Sclavonia Jurisdictioni Sacrae Regni Coronae reincorporabitur; Jurisdictioni Regni et Bani, clementer annuente Sacra Regia Majestate, juxta etiam Art. 118. An. 1715. subordinabitur;

§. 1. Ac una quoque Supremi Comites (in quantum denominati non essent) per Suam Sacram Regiam Majestatem, pro tenore etiam suprascripti Articuli 18. constituentur.

De Appertinentiarum infrascriptarum Familiae Erdődianae Restitutione; eidemque impendenda Satisfactione; et Districtus Kuttinensis Jurisdictioni Regni Reapplicatione.

Articulus 51.

Justum esse agnoscit Sacra Sua Regia Majestas, ut Familiae Comitum Erdődy, pro Dictamine Art. 113. An. 1715. Dominii Montis Claudii Appertinentiae, eidem Familiae per Cameram Aulicam resignatae, per Commissionem supra Articulo 49. clementer resolutam et ordinatam, aut eadem Commissione nefors dilata, et ex quocunque demum motivo non procedente, per aliam eum in finem a Sacra Regia Majestate, pro conformitate Articuli 93. An. 1732. clementer ordinandam, finita praesenti Diaeta, quantocyus integraliter restituantur;

§. 1. Atque praemissae Appertinentiae, Districtus quippe Kuttina Jurisdictioni Regni, quoad ipsam quoque Onerum publicorum tam ordinariorum, quam extraordinariorum supportationem reapplicetur;

§. 2. Atque pro tenore citati Artic. 93. An. 1723. eadem Commissione mediante, de illatis dictae Familiae per Confiniarios Crisienses et Ivaniczenses Damnis, Violentiis, Invasionibus et Occupationibus; adaequata effective impendatur satisfactio.

De Bonis Zriniano et Frangepano-Fiscalibus, per Cameram Graecensem, aliosque possessis.

Articulus 25.

Ad tollendas universas Regnum inter et Cameram Graecensem, aliosque praescriptorum Bonorum Possessores hactenus vigentes Differentias, justum esse agnoscente, per consequens clementer annuente Sua Sacra Regia Majestate, communique Statuum et Ordinum Voto statuitur; ut Bona Zriniano et Frangepano-Fiscalia Trans-Colapina et Maritima per Cameram Graecensem, aliosque tenta, eorundemque Possessores et Officiales, juxta etiam praescriptum Articulorum 71. An. 1681., Art. 44. An. 1715. et Art. 94. An. 1723. (sicuti in aliis Fiscalibus Bonis) communibus Legibus, Oneribus et Jurisdictioni Regni imposterum subsint et subesse debeant.

De Metarum inter vicinas Styriae et Carnioliae Provincias Rectificatione.

Articulus 53.

Quandoquidem inter vicinarum Styriae et Carnioliae Provinciarum et Regni Limites, multis retroactis Annis vigentes, ob varia temporum impedimenta, per ordinatam Articularem Commissionem irrevisae et indecisae etiamnum manerent

Controversiae; ideo Articuli 39. Anni 1715., Art. 17. An. 1723. quemadmodum et Art. 116. An. 1715. quoad Rectificationem specificatarum ibidem Metalium Differentiarum confirmantur, atque in effectum deducendi statuuntur:

§. 1. Et praeterea annuente benigne Sua Sacra Regia Majestate, Articulus 69. An. 1681. et in eodem citati, circa Decimas Districtus Metlikae, Capitulo Zagrabiensi restituendas, iterum renovantur et effectuandi decernuntur.

Subsidium pro Militia, aliisque publicis Regni Necessitatibus per Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae solvi consuetum; una cum media Tricesima et Auctione ordinatur.

Articulus 54.

Quoniam per notabilem in Confiniis stipendiatae Militiae Adauctionem, Banalisque et Judiciariae Tabularum Exolutionem longe majora, quam anterioribus erant, Regnis illis et miserae Plebi, praeterita Bellorum occasione, variisque temporum injuriis, ad incitas propremodum redactae accessissent et imperpetuata haberentur onera;

§. 1. Hinc in oportunum talium supportandorum subsidium, Summefata Sua Regia Majestas Benignitatem et Clementiam Suam erga praefatorum Regnorum Status et Ordines ulterius quoque contestatam reddere cupiens, benigne applacidavit; ut formalitate Articuli 75. An. 1681. praeter Auctionem Regno aliunde cedentem, Regnorum illorum Mediae Tricesimae et Ordinariae Contributionis Proventus, in Confiniorum et Militis Confiniarii, aliorumque Publicorum et Politicorum quoque onerum Exolutionem ulterius quoque convertantur;

§. 2. Ita tamen; ut Regiae Suae Majestati de Anno ad Annum notitia detur; in quos usus, praescripti (Regium alias Aerarium respicientes) Proventus, impensi fuerint.

De Pulsione Boum, per Portum Buccari.

Articulus 55.

Admittit clementer Sua Sacra Regia Majestas; ut conformiter ad Artic. 117. Anni 1715. Boves per Portum Buccari libere pellantur.

Civitas Segniensis, in Integrum Jurium suorum restituitur et intuitu Capituli Segniensis; Articulus 57. Anni 1647. confirmatur.

Articulus 56.

Erga querulosam Liberae et Regiae Civitatis Segniensis, contra Officiales Militares de variis Injuriis et in Oppressionem Jurium suorum attentatis Praejudiciis; ac Nunciorum suorum ad Diaetam Regni Hungariae et praefatorum Regnorum

Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Congregationes impedita Emissione; et nec secus Patriciorum et Civium contra Privilegia ejusdem Civitatis per statum Militarem fieri coepta Constitutione, factam in hac quoque Diaeta Instantiam; clementer annuente Sua Sacra Regia Majestate, decernitur:

§. 1. Ut eadem Civitas, universis Juribus, Libertatibus et Immunitatibus suis per Divos olim Hungariae Reges eidem concessis et hicce confirmatis, adeoque hactenus per statum Militarem illatis eidem praejudiciis hoc facto sublatis, amodo et imposterum semper libere et absque quopiam impedimento, tenore etiam Artic. 128. An. 1715. fruatur, et in iisdem adinstar aliarum Liberarum ac Regiarum Regni Hungariae Civitatum Praesidiarium Militem habentium (particularibus duntaxat stipendiatis in Militaribus pure suam a Jurisdictione Militari dependentiam habituris) conservetur.

§. 2. Ad quorum effectuationem et stabilimentum, seria benigna Mandata ad Bellicas Instantias semet clementer daturam resolvit Sua Sacra Regia Majestas:

§. 3. Capitulo etiam Segniensi admissa ea facultate; quam Artic. 57. Anni 1647. denotat.

De Unione Superioris et Inferioris Civitatis Crisiensis.

Articulus 57.

Crisiense superiore Civitate, contra propositam ejusdem cum inferiore Civitate Crisiense Unionem, Motiva Regiae Suae Majestati introporrigi faciente; cum et alioquin juxta Dictamen Artic. 95. An. 1723. Articulariter etiam denominati Commissarii, cognitis utriusque Civitatis Juribus, ante effectuationem Unionis, diversa Partium Jura revidere et an ejusmodi Unio absque Convulsione Jurium et Privilegiorum unius, vel alterius ex praedictis Civitatibus fieri possit? cum Voto et Opinione sua Regiae Majestati medio Regiae Cancellariae Hungarico-Aulicae reportare debuissent; Altefata Sua Sacra Regia Majestas in Puncto praedeclaratae Unionis pro et contra occurrentia et introporrecta Motiva, finita mox Diaeta sibi reportari curabit, superindeque benignam Regiam datura est Resolutionem.

Articulus 31. Anni 1729. de Transmissione Causarum ex Tabula Banali ad Curiam Regiam modificatur.

Articulus 58.

Quantumvis praecitato Articulo 31. An. 1729. Causae, quae immediate in Tabula Banali suscitantur, solis Activis Pauperum (Conditionem paupertatis sufficienti Documento in Judicio edocere queuntium) necnon aliorum etiam Causis, aquisitionem florenorum Quingentorum non excedentibus, exceptis, intra Dominium semper transmittendae ordinarentur;

§. 1. Annuente nihilominus clementer Sua Sacra Regia Majestate, decernitur; ut quaevis Causae ex Tabula Banali, in quibus eadem primae Instantiae Judicem est actura, ad Viginti usque Millia florenorum extra Dominium ad Curiam Regiam transmittantur: Quare in hoc Articulus praecitatus 31. An. 1729. modificatur.

Ut Modus Insurrectionis et Exercituationis, pro Tenore Articuli 66. An. 1681. in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae ultro observetur.

Articulus 59.

Admittit clementer Sua Sacra Regia Majestas, ut Modus Insurrectionis et Exercituationis praefatorum Regnorum pro ratione necessitatis, juxta Articulum 66. An. 1681. ultro et imposterum observetur; quemadmodum et observandus statuitur.

De Campi Turopolia et unius Sessionis Nobilibus.

Articulus 60.

Circa Nobiles Campi Turopolia et alios unius Sessionis, Articulis 92. An. 1723. Intuitu vero Appellationis Causarum ex dicto Campo; Articuli 106. An. 1659. confirmantur.

Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Filii Nativi, sub Denominatione Hungarorum complectuntur.

Articulus 61.

Accedente benigna Sacrae Regiae Majestatis Resolutione, communi Statuum et Ordinum Voto, ultro compertum et statutum est; ut praefatorum Regnorum Regno Hungariae annexorum Filii Nativi sub Denominatione Hungarorum, quoad Officia et Beneficia Ecclesiastica et Secularia etiam comprehensi intelligantur.

De Libera Panni pro Confiniario Regni Croatiae et Sclavoniae Milite, in Regnum Inductione.

Articulus 62.

Panni pro solutione Confiniariae Regni Militiae, eo modo, uti antea quoque usitatum fuit, penes solitas duntaxat Passuales, sine omni Tricesimae et aliarum Pensionum Solutione (clementer annuente Sua Sacra Regia Majestate) Libera imposterum sine ullo Impedimento in Regnum admittitur Inductio.

Ordo Fratrum Praedicatorum Sancti Dominici, in Regnum Hungariae, Partesque eidem annexas recipitur.

Articulus 65.

Florentem, olim etiam in hoc Regno Hungariae, Religiosum Fratrum Praedicatorum Sancti Dominici Ordinem, Status et Ordines Regni, in Regnum hocce Hungariae, Partesque eidem annexas, absque tamen omni Voto et Sessione recipiunt, cum ea obligatione; ut idem Ordo in Testimonium Gratitudinis suae, Duodecim Sacrosancta Missae Sacrificia singulis Annis in perpetuum pro Sacrae Regiae Majestatis, Successorumque Hungariae Regum et Apostolici istius Regni incolumitate, prosperitate et incremento celebrare teneatur.

MARIAE II. UNGARIAE REGIS QUADRAGESIMI OCTAVI DECRETUM II., ANNO DOMINI 1751.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De comitatibus Syrmiensi, Veröczensi et Posegano ad Generalia Regni Comitia posthac convocandis.

Articulus 23.

Sacratissima Caesarea Regiaque Majestate clementem praebente assensum, per Status et Ordines Regni conclusum est: ut comitatus Syrmii, Veröczensis et Poseganus per Suam Majestatem Sacratissimam posthac ad diaetales Regni concursus evocandi, inter reliquos Regni hujus comitatus sessione et voto postliminio gaudere possint, salva in reliquo Regni Hungariae et Banali Jurisdictione.

De abroganda foenilium regnicolarium depascuatione et sylvarum succisione.

Articulus 34.

Ad damnosam illam, et tot legibus vetitam foenilium regnicolarium per Varasdinensis et Carlostadiensis Generalatuum militares in Districtu Draganich, Kobilich, Mekreth et Selianecz, nec non Comitatu Varasdinensi in bonis Szent-Ersebet practicari solitam depascuationem, ita et roborum, ac lignorum in silvis Episcopatus Zagrabiensis, oppidi Czirqueno communitatis Draganich, ac aliorum regnicolarum magno eorundem damno et praejudicio passim hinc inde indebite usurpatam succisionem abrogandam, militaribus sua via distinctim sese commissuram benignissime resolvit Sua Majestas Sacratissima: quatenus ab excessibus

hujusmodi imposterum abstinere debeant; in contravenientes porro praeter committendorum damnorum bonificationem, parti laesae praestandam, praeterea aliter severe animadvertetur.

De metarum inter vicinas provincias, ita et dominium Csaktornya rectificatione.

Articulus 35.

Justum esse agnovit Sua Majestas Sacratissima: ut ad tenorem articuli 53. An. 1741. in eodemque citatorum Art. 39. An. 1715. et Art. 17. An. 1723. inter Regnum et vicinas Styriae et Carnioliae provincias, quemadmodum et pro conformitate articuli 116. An. 1715. inter Regnicolas et Dominium Csaktornya jam a tot annis vigentibus metalibus controversiis medio comissariorum, ex parte quidem Suae Majestatis Sacratissimae per eandem Suam Majestatem Sacratissimam; ex parte vero Regni Croatiae et Sclavoniae per Dominum Comitem Banum, et Status ac Ordines eorundem Regnorum denominandorum finis tandem imponatur; in id autem connitendum, ut minoribus, quo fieri poterit, sumptibus id fiat. Quoad decimas districtus Metlike Capitulo Zagrabiensi tenore citati Articuli 53. An. 1741. hic loci confirmati restituendas, accepta uberiore desuper informatione, regiam Suam assistentiam clementissime resolvit Sua Majestas Sacratissima.

De Judicatu comitatensi etiam in causis supremorum et vice-comitum activis et passivis, secundum tenorem articuli 35. anni 1729. in Regnis quoque Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae observando.

Articulus 36.

In luculentum caesareo-regiae benignitatis argumentum annuit clementissime Sua Majestas Sacratissima: ut in Regnis quoque Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in causis supremorum et vice-comitum activis et passivis, forum comitatense respicientibus, non amplius Tabula Regnorum illorum Judiciaria, verum pro tenore articuli 35. anni 1729. vice-comites comitatuum et respective judices Nobilium procedant, procedendique facultatem habeant.

De infrascriptis militarium abusibus moderandis et educillis per eosdem, prout et alios infrascriptos officiales non servandis.

Articulus 37.

Circa extraordinarias in confiniis Gradiscano, Brodensi, Danubiali et Savano per officiales militares introductas et ab animalibus, curribusque incassari solitas, miseramque contribuentem plebem gravantes exactiones, accepta praevie informatione, pro justo et aequo sese resoluturam; quemadmodum et constituto con-

venienti in ponte Eszekiensi vectigali, excessivas (si quae fierent) exactiones, re plene investigata, sublaturam. Ut autem dominorum terrestrium ratione educillorum praejudicium ad mentem etiam articuli 4. anni 1729. tollatur; capta et desuper prius informatione, tam ad militares, camerales et postales officiales, prouti et Eszekiensis fortificationis regularum magistrum seriis sua via dandis mandatis semet prospecturam, quod clementissime resolvere dignata sit Sua Majestas Sacratissima, eidem humillimas subditali in devotione gratias praefatorum Regnorum Status et Ordines reponunt.

De Locorum infrascriptorum oneri contributionali subjectione; quemadmodum et negotii, ratione contributionis possessionum Mala et Csernek, accommodatione.

Articulus 38.

Ex benignissimo Suae Majestatis Sacratissimae consensu et annuentia conclusum est: ut impopulata illa monasteriorum Graeci Ritus non unitorum loca, utpote: Kraszedol, Remete, Gergetek, Vernyak, Beszenano, Sisatovacz, Kövesdin, Gybsa, Ratovacz et Pribina Glava comitatui Syrmiensi adjacentia, contributionem interim cassae domesticae applicandam solvant; quemadmodum et pagus Chepin in comitatu Veröczensi situatus et per Generalem Eszekiensem possessus, etiam quoad proportionata onera contributionalia jurisdictioni comitatensi subjiciatur. Nec absimiliter per Suam Summefatam Majestatem Sacratissimam benignissime commissum habetur: ut differentia ratione possessionum Mala et Csernek, intuitu contributionis vigens, quamprimum sopiatur.

De Civitate Segniensi.

Articulus 39.

Erga humillime porrectam particularem Civitatis Segniensis instantiam intuitu eorum, quae contra statum militarem exposuit; Summefata Sua Majestas Sacratissima legibus Regni, et aequitati conveniens remedium benignissime sese posituram resolvit.

MARIAE II. HUNGARIAE REGIS QUADRAGESIMI OCTAVI DECRETUM III. ANNO DOMINI 17$^{64}/_{65}$

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De Littoralis Austriaci recentius inducta compellatione.

Articulus 30.

Quod per Littoralis Austriaci compellationem, ex ipsa tantum situs ratione desumptam, Juribus Regni haud quidquam derogandum, adeoque ipsius etiam Sacrae

Coronae Jurisdictioni inde nullum praejudicium eventurum, Sua Majestas Sacratissima benigne declarare dignata sit, Status et Ordines demisse contentantur.

De reserato per Portum Buccari Commercio.

Articulus 31.

Ad humillimas Statuum et Ordinum, de reserando ad effectum conditarum superinde complurium Regni Legum, per Portum Buccari Commercio homagiali fiducia profusas preces, Sua Majestas Sacratissima clementer admittere dignatur, non modo ut libera imposterum sit, per dictum Portum praestandis Boum pulsio, verum ut caeteroquin etiam terrestre, maritimumque Commercium in eodem Portu reseretur, necessariaque in eum finem suis in Locis congrue mox disponantur.

De Telonio in Ponte Carlostadiensi.

Articulus 32.

Ut in erigendo ad rationem Camerae Regiae Hungarico-Aulicae in Ponte Carlostadiensi Telonio, omnes praerogativa Nobilitari gaudentes, conformiter alioquin ad fundamentales Patriae Leges, uti et aliae privilegiatae Personae, vigore elargitorum iisdem Privilegiorum, a qualibet Exactione prorsus immunes in perpetuum habeantur, accedente benigno Suae Majestatis Sacratissimae assensu statuitur.

De Praesidiis Confinii Banalis reparandis.

Articulus 33.

Maternam Suae Majestatis Sacratissimae in conservationem Perpetuo fidelium subditorum suorum semper intentam curam et solicitudinem, venerabundi in eo etiam agnoscunt Status et Ordines, quod benignam reparandorum Banalium etiam Praesidiorum reflexionem, semet habituram clementer declarare dignata sit.

De figenda in Regno per Banos solita Residentia.

Articulus 34.

Cum ad altissimi Servitii Promotionem, Bonique publici Incrementum haud parum conferre videatur, ut Bani fixa in Regno solita Residentia, negotia Regnorum horum coram possint procurare, erga benignum Suae Majestatis Sacratissimae annutum, Articulus 47. An. 1741. quoad Residentiam Bani, futuris quoque temporibus semper observandus, confirmatur.

De uno Nationali Consiliario, ad Cancellariam Regiam Hungarico-Aulicam applicando.

Articulus 35.

Quod Sua Majestas Sacratissima, circa applicandum ad Cancellariam Regiam Hungarico-Aulicam unum Nationalem ex parte Regnorum horum Consiliarium, pro idoneitatis ac meritorum ratione, benignam Nationis Croaticae se habituram considerationem, clementer resolvere dignata sit, homagiales in subditali devotione iidem Status et Ordines gratias reponunt.

De abrogandis per Statum Militarem practicari solitis diversi generis Exactionibus.

Articulus 36.

Cum nulli Dominorum Terrestrium, aut Jure Terrestrali gaudentium liceat consumptibilia, ac cujuscunque generis merces, quae ad eorum Territorium venales advehuntur, aut alio permeant, Exactione quapiam gravare, quin speciale Privilegium Regium desuper fuerit impetratum, Sua Majestas Sacratissima eas se facturam Ordinationes, clementer resolvere dignata est, ut omnes ejusmodi Exactiones, quae ex parte Status Militaris sive in Varasdinensi Generalatu; sive in Carlostadiensi, aut Eszekiensi Confinio practicari remonstratae fuerint, prompte una et efficaciter tollantur.

De abrogandis, quae Status Militaris in Jurisdictione Provinciali induxit, Educillis et Macellis.

Articulus 37.

Sua Majestas Sacratissima clementer assentitur, ut usurpata per Statum Militarem Educilla et Macella, tam Varasdini, quam etiam alibi, ubi Status Militaris Jure Dominii Terrestralis non gaudet, per elargiendos sua via Ordines, sufferantur.

De Appellatis ex Tabula Banali Causis.

Articulus 38.

Ut Causae natura sua extra Dominium appellabiles, in Articulo 28. An. 1715. alioquin specificatae, non attenta summae quantitate, adeoque Art. 58. An. 1741. Dispositione imposterum etiam ex Tabula Banali extra Dominium transmittantur, communi Suae Majestatis, Statuumque et Ordinum Regni assensu, statuitur.

De Immunitate Civium Civitatum Neo-Planta et Zombor, etiam in Trajectibus Petro-Varadiensi, Daliensi et Eszekiensi observanda.

Articulus 39.

Erga humillimam Liberarum ac Regiarum Civitatum Neo-Planta et Zombor, quoad Excessus per Inspectores Nauli in Trajectibus Petro-Varadiensi, Daliensi et Eszekiensi, cum desumptione Taxae in Civibus memoratarum Civitatum contra Privilegialem eorundem Immunitatem practicatos, per Status et Ordines demisse repraesentatam Supplicationem, aequum esse clementer agnoscit Sacratissima Sua Caesarea et Regio-Apostolica Majestas, ut Cives praefatarum Civitatum, sufficientibus Magistratuum suorum Passualibus provisi, in praedeclaratis quoque Trajectibus ad Nauli solutionem non adigantur.

LEOPOLDI II. IMPER. & REGIS DECRETUM I. ANNI $17^{90}/_{91}$.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De Independentia Regni Hungariae, Partiumque eidem annexarum.

Articulus 10.

Erga demissam Statuum et Ordinum Regni Propositionem, Sua quoque Majestas Sacratissima benigne agnoscere dignata est, quod licet Successio Sexus foeminei Augustae Domus Austriacae per Articulos 1. et 2. An. 1723. in Regno Hungariae, Partibusque eidem adnexis stabilita, eundem, quem in reliquis Regnis et Ditionibus haereditariis, in et extra Germaniam sitis, juxta stabilitum Successionis Ordinem inseparabiliter possidendis, Principem concernat, Hungaria nihilominus cum Partibus adnexis, sit Regnum liberum et relate ad totam legalem Regiminis formam (huc intellectis quibusvis Dicasteriis suis) independens, id est nulli alteri Regno aut populo obnoxium, sed propriam habens Consistentiam et Constitutionem, proinde a legitime Coronato haereditario Rege Suo, adeoque etiam a Sua Majestate Sacratissima, Successoribusque ejus Hungariae Regibus, propriis Legibus et Consvetudinibus, non vero ad normam aliarum Provinciarum dictantibus id Articulis 3. An. 1715. item Art. 8. et 11. An. 1741. regendum et gubernandum.

De Metis Regni non abalienandis et Differentiis ratione earum exortis componendis et avulsis restituendis.

Articulus 11.

Sacratissima Sua Majestas erga Propositionem SS. et OO. ad Partes Regii Sui

Officii pertinere declaravit, ne Metae Regni Hungariae, Partiumque adnexarum abalienentur; Differentiae vero ratione Metarum cum vicinis quibuslibet, seu nunc vigentes, seu via non lege praescripta terminatae, seu exoriturae, per diaetaliter ad id denominandos Commissarios finitis Comitiis, in concursu Commissariorum pro Parte concernentium Provinciarum, per Suam Majestatem denominandorum, statim revideantur, Partibusque debite auditis, omni studio componantur et avulsa, in quantum ad alias Suae Majestatis Ditiones haereditarias applicita forent, non obstante eo, quod ejusmodi Tenuta Provinciarum illarum Contributionis Catastrum ingressa essent, Regia Authoritate restituantur.

De legislativae et executivae Potestatis Exercitio.

Articulus 12.

Leges ferendi, abrogandi, interpretandi Potestatem in Regno hoc Hungariae, Partibusque annexis: salva art. 8. an. 1741. Dispositione: legitime coronato Principi et Statibus ac OO. Regni, ad Comitia legitime confluentibus, communem esse, nec extra illa exerceri posse, Sua Majestas Sacratissima ultro ac sponte agnoscit, ac se Jus hoc Statuum illibatum conservaturam, atque prout illud a Divis suis Majoribus acceperat, ita etiam ad Augustos suos Successores inviolatum transmissuram benigne declaravit, Status et OO. Regni securos reddens, nunquam per Edicta, seu sic dictas Patentales, quae alioquin in nullis unquam Regni Judiciis acceptari possunt, Regnum et Partes adnexas gubernanda fore, Expeditione Patentalium ad eum duntaxat casum reservata, ubi in Rebus Legi alioquin conformibus, Publicatio debito cum effectu hac unica ratione obtineri valeret. Proinde

Forma Judiciorum lege stabilita aut stabilienda, authoritate Regia non immutabitur, nec legitimarum Sententiarum Executiones, Mandatis impedientur, aut per alios impediri admittentur, nec Sententiae legitimae, Fororum Judiciariorum alterabuntur, immo nec in Revisionem Regiam, nec ullius Dicasterii politici pertrahentur, sed secundum conditas hucusque, aut in futurum condendas Leges, receptam Regni Consuetudinem, Judicia per Judices, absque discrimine Religionis deligendos, celebrabuntur, executiva autem Potestas, nonnisi in sensu Legum, per Regiam Majestatem exercebitur.

De Subsidiis et Contributione.

Articulus 19.

Non absimiliter et de eo plene securos reddere dignata est Sua Majestas Sacratissima Status et Ordines Regni, Partiumque adnexarum, quod Subsidia cujuscunque nominis sive in aere, sive in Naturalibus, aut Tyronibus, nec Statibus et Ordinibus, nec Ignobilibus Arbitrio Regio imponentur, imo nec praetextu liberae Oblationis, aut alio quocunque Titulo extra Diaetam, salva Dispositione Articuli 8. An. 1715. per Articulum 22. An. 1741. uberius declarati, sollicita-

buntur, quantitas vero Contributionis, pro intertentione stabilis Militiae destinatae, semper in Comitiis Regni ab una Diaeta ad aliam determinabitur; reliquis etiam praecitati Articuli 8. An. 1715. tenoribus in salvo relictis ac ultro pro confirmatis hisce declaratis.

De Postis et Re Montana qualiter in conformitate Legum administrandis.

Articulus 22.

Sacratissima Majestas Status et Ordines securos reddere dignata est, quod Postas intra ambitum Regni Hungariae et Partium adnexarum existentes, a Consilii Hungarici Directione, proventus vero earundem a Camera Hungarica abstrahi, nullo unquam tempore admissura sit, quin Rem quoque Montanam mox post Diaetam Camerae Hungarico-Aulicae subordinatura, Legum vero Montanisticarum Reformationem, nec non Judiciorum Montanisticorum Constitutionem et Coordinationem, communibus cum Dominis SS. et OO. Consiliis determinatura sit; oeconomica Rei Montanae regulatione, velut suo Regali, per Regiam Suam Majestatem privato arbitrio reservata.

De Graeci ritus non Unitis.

Articulus 27.

Sua Regia Apostolica Majestas Sacratissima clementer annuere dignatur, ut Graeci Ritus non uniti Regni Incolae in Regno hoc jure Civitatis donati, sublatis in contrarium sancitis Legibus, in quantum hae ad Graeci Ritus non unitos se referunt, ad instar aliorum Regnicolarum acquirendorum et possidendorum bonorum, ac gerendorum omnium Officiorum, capaces in Regno Hungariae Partibusque adnexis sint.

Juribus caeteroquin Regiae Majestatis circa negotia Cleri, Ecclesiae, Religionis, cujus exercitium plene ipsis liberum erit, Fundationum, Studiorum ac Juventutis educationis, non minus Privilegiorum ipsorum, quae fundamentali Regni Constitutioni non adversantur, prout Majestas Sacratissima a gloriosae Memoriae Majoribus suis accepit, ita eidem altefatae Regiae Majestati porro quoque in salvo relictis.

De Articulari receptione Civitatum Temesvar, Mariae-Theresiopolis, Posegae item et Carlostadii.

Articulus 30.

Civitates Temesvar, Maria-Theresiopolis, Posega item et Carlostadium, quemadmodum Sua Majestas Sacratissima earundem meritis palam agnitis et publica ulilitate clementer permota, numero reliquarum Liberarum Regiarumque Civitatum

adnumerandas, benigne agnovisset, ita SS. quoque et OO. Regni, easdem in numerum aliarum liberarum ac Regiarum Civitatum cum competente Sessione et Voto Diaetali recipiunt, una vero, ut eaedem Legibus Regni quoad omnia subjacere et sese accommodare debeant, statuitur.

De Activitate Regii Locumtenentialis Consilii Hungarici, ad Regna Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae extendenda.

Articulus 58.

Consilio Regio in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, per Serenissimam piae memoriae Reginam Apostolicam Dominam, Dominam MARIAM THERESIAM erecto, jam alioquin sublato, quemadmodum Comitatus eorundem Regnorum, omnes Politicas Inviationes a Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico interea acceperunt, ita Sua Majestate Sacratissima benigne annuente statuitur, ut has a praelibato Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico, praefatorum Regnorum Comitatus porro quoque accipiant, ut item tam in Gremio ejusdem Consilii, quam in Statu subalterno, ex iisdem Regnis individua in justa Proportione applicentur. Domino praeterea eorundem Regnorum Bano, dum ad illud comparere poterit, competens dignitati ejus sessio et votum assignetur, Municipalibus eadem Regna in concreto respicientibus negotiis, porro quoque in Generalibus eorundem Regnorum Congregationibus, quae cum praevio annutu Regio celebrandae venient, pertractandis.

De Contributione Regni Croatiae et trium superioris Sclavoniae Comitatuum, in Diaeta Regni Hungariae pertractanda.

Articulus 59.

Accedente quoque Benigno suae Majestatis Sacratissimae assensu conclusum est, ut deinceps Contributio Regni Croatiae et trium superioris Sclavoniae Comitatuum, Zagrabiensis utpote, Crisiensis et Varasdinensis, semper in Diaeta Regni Hungariae, separatim tamen a Contributione Regni Hungariae, pertractetur, neque imposterum extra Diaetam Regni Hungariae augeri possit.

De Libera Regiaque Civitate Segniensi, a Jurisdictione Militari eximenda, complanandisque ejus Querelis.

Articulus 60.

Ad effectum Articuli 56. An. 1741. Sua Majestas Sacratissima, intuitu Liberae Regiaeque Civitatis Segniensis, benigne addicit, se mixtam e Statu Militari et Politico Commissionem, coram qua Civitas, occupata per Statum Militarem seu Tenuta, su Beneficia edocere possit, mox finita hac Diaeta ordinaturam, nego-

tiumque dictae Civitatis in ulteriorem pertractationem in proxima Regni Diaeta assumpturam; Interea vero, apud Militarem Jurisdictionem Confinii Carolostadiensis efficaciter disposituram, ne praefatae Civitatis Incolae, propter sumptum ad Diaetam Recursum, ulla molestia afficiantur.

De Reincorporatis Partibus Maritimis.

Articulus 61.

Cum gloriosae Memoriae Imperatrix et Regina Apostolica, ad effectum numerosarum eatenus sancitarum Regni Legum, partes maritimas Regno Croatiae, ad quoad ab olim spectabant, ac per eam Sacrae Regni Hungariae Coronae postliminio reincorporaverit, ut itaque hujus memoria ad seros posteros transmittatur, Urbs vero Buccari cum Portu Regio et Buccariensi, tamquam Urbs commercialis et Portus Liber, in Statu suo Privilegiali conservetur, cum benigno Suae Majestatis annutu statuitur.

De petita plagae inter Viam Carolinam et Josephinam, Jurisdictioni Politicae Resignatione.

Articulus 62.

Erga demissam Propositionem Statuum et Ordinum clementer annuit Sua Majestas Sacratissima, quod, quoad petitam viae commercialis Josephinae cum tota, hanc inter et Viam Carolinam iterjacente plaga, politicae Jurisdictioni Resignationem, Commissionem e Statu Militari et Politico mixtam, mox terminata hac Diaeta ordinare, objectumque isthoc in ulteriorem pertractationem, in proximis Generalibus Regni Comitiis, assumere velit.

De Generalatu Varasdinensi, Terreno item Repas et Diverticulo Ketel.

Articulus 63.

Ad demissum Statuum et Ordinum Postulatum, ut Articulorum 113. An. 1715. nec non Art. 13. An. 1751. quoad Terrenum Repas (huc intellecta etiam controversia quoad Diverticulum Ketel,) et aliorum effectus procurari possit; Sua Majestas Sacratissima benigne declaravit, quod Commissionem mixtam suo tempore ordinatura, atque per eandem super omnibus ad rite pertractandum ac decidendum hocce objectum circumstantiis, demissam relationem sibi exhiberi jussura sit.

De Nobilibus, Liberarum item et Regiarum Civitatum Civibus, a Solutione Nauli et Telonii, in Confiniis Militaribus immunitandis.

Articulus 64.

Erga positam in eo querimoniam, quod in Generalatu Varasdinensi, Confiniis item Banali et Carlostadiensi, aliisque in obversum Articuli 59. An. 1618. aliarumque Regni Legum, a Nobilibus, Liberarum item et Regiarum Civitatum Civibus, Nauli et Telonii solutio exigatur, Sua Majestas Sacratissima, Status et Ordines Regni securos reddere dignata est, semet acceptis requisitis a Statu Militari Informationibus, eatenus id, quod Legis est, disposituram.

Pro Differentiis quoad Limites Regni cum vicinis Provinciis finaliter terminandis et Metis rectificandis, Commissarii denominantur.

Articulus 68.

Sua Majestate Sacratissima in consequentiam Articuli 11. hujus Diaetae ultro Benigne resolvente: ut, si quae Commissiones limitaneae per Articulares Commissarios decisae, sed nondum relatae essent, quantocius referantur; a benigna porro ejusdem adprobatione pendentes, praevia ratificatione immediate Executioni mancipentur; hactenus autem indecisae, continuentur: ac in quantum Controversiae ejusmodi limitaneae, seu per privatas Dominorum Terrestrium Conventiones, seu medio Commissariorum non articularium interimaliter consopitae, vel etiam decisae fuissent, per Commissarios articulariter denominandos, penes respectivorum Actorum limitaneorum extradationem reassumantur et quantocius pro justo et aequo finaliter determinandae, in quantum Circumstantiae admiserint, usque futura Anno 1792. celebranda Regni Comitia Generalia, praevia Suae Majestatis Sacratissimae Benigna Ratificatione complanentur; Commissarii vero Articulares, de progressu et effectu operationum suarum eidem Diaetae fidelem et adaequatam Relationem praestare teneantur, SS. quoque et OO. fine accelerandae, per Suam Majestatem Sacratissimam clementer oblatae, complanandorum finalis complanationis effectum praemissorum, per eos, quibus incumbet, procurandum decreverunt: Siquidem autem Commissarii ad revidendas et terminandas finitimas Regni hujus cum vicinis Provinciis Controversias, in Artic. 16. An. 1765. denominati, partim medio tempore emortui essent, partim vero alias ob causas et rationes ab hoc munere obeundo impedirentur, idcirco renovatis hic loci quoque Articulis 39. An. 1715., Art. 17. An. 1723. ac in iisdem citatis, Eadem Altefata Sua Majestate Sacratissima Benigne annuente, per Status et Ordines Regni sequentes denominantur Commissarii, et quidem:

Versus Styriam et Carnioliam.

Ex parte Regnorum Croatiae, Sclavoniae etc. cointelligenter cum Commissione versus Styriam ex respectu differentiarum Comitatus Szaladiensis.

Joannes Jesich, Episcopus Segniensis.

Comes Adamus Orsich.

Magister Donatus Lukavszky, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Protonotarius.

Zagrabiensis et Varasdinensis Comitatuum Vice-Comites.

FRANCISCI I. REGIS DECRETUM PRIMUM ANNI 1792.

De Sublatione Cancellariae Illyricae, Voto item et Sessione non-unitorum Graeci-Ritus Episcoporum.

Articulus 10.

Ad demissum Statuum et Ordinum Postulatum, Sua Regia Majestas clementer declarare dignata est, se adductum per Dominos Status et Ordines, Augustae condam Imperatricis et Reginae Apostolicae Mariae Theresiae, Aviae suae desideratissimae Exemplum, eo in pretio habere, ut hoc absque ea etiam Reflexione, quod non-uniti Ritus Regni Accolae, medio tempore, postquam nempe Cancellariae Illyricae Erectio jam decreta erat, Jure Civitatis Lege publica donati fuerint, permota, desideratam a Dominis Statibus et Ordinibus Cancellariae Illyricae Sublationem jam re ipsa decreverit, neque aliud amplius fore reliquum, quam ut mox, ac Sua Majestas e diversis quae suscipienda habet itineribus, feliciter redux, exauditaque Propositione, qualiter suppressio haec absque negotiorum convulsione suscipi valeat, realem ejusdem Sublationem ordinare queat.

Ut autem Ritus hujus Regni Accolis, jam alioquin sub Praesidio Legum constitutis, omni ratione consulatur, atque ii ipsum etiam conditae de iisdem Legis effectum sentiant, justam agnoscere Suam Majestatem eam Dominorum Statuum et Ordinum Propositionem, ut ex Individuis ejusdem Ritus nonnulla requisitis qualitatibus instructa, ad Cancellariam Regiam Hungarico-Aulicam; prout et ad Consilium Regium Locumtenentiale applicentur Individua, quae Sua Majestas mox subsecuta dictae Cancellariae Sublatione, hunc in finem etiam nominatura est.

Quam clementissimam Suae Majestatis Sacratissimae affidatoriam Declarationem, Status et Ordines cum vero homagialis Devotionis et Gratitudinis sensu suscipientes, ne parte etiam ex sua quidpiam desiderari sinerent, in conformitate factae humillimae Repraesentationis suae, dicti Ritus Metropolitae et Episcopis Votum in Comitiis jam ex nunc competere declarant, ac una cum benigno Suae Majestatis Consensu decernunt, ut de ipsa qualitate Voti et Sessionis, per Deputationem Regnicolarem in Coordinatione Comitiorum operaturam, praestetur Opinio, in affuturis Regni Comitiis praescripto modo referenda et terminanda.

De effectu infrasertorum Articulorum, relate ad Regna Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Diaeta Anni 1791. conditorum procurando.

Articulus 18.

Erga demissam Statuum et Ordinum Propositionem, Sua Majestas Sacratissima benigne declarare dignata est, Individuis praefatorum Regnorum jam hactenus quoque ad Dicasteria applicitis, semet ad effectum Articuli 58. An. 1791. benigne curaturam, ut emergentibus vacantiis Individua eorundem Regnorum signanter ad Officia etiam subalterna applicentur.

Modernis autem bellicis Circumstantiis neutiquam admittentibus, ut Commissio relate ad petitam plagae inter viam Carolinam et Josephinam sitae, incorporationem, nunc statim exmittatur, mutatis subinde rerum adjunctis circa procurandam Articuli 62. An. 1719. effectuationem, necessarias Dispositiones se illico facturam.

Non secus Commissionem pro incorporatione Generalatus Varasdinensis et Oppidi Czirkveno, ad Statum privilegialem repositione ad effectum Articuli 63. An. 1791. suo tempore exmittendam, ubi subversantes pares circumstantiae admiserint, sibi curae futuram.

Circa desumptam demum hucdum in obversum Articuli 64. An. 1791. in Confiniis Militaribus a Nobilibus et Civibus Taxam, semet capta praevie adaequata Informatione, effectum ejusdem 64. Articuli quo ocyus benigne procuraturam.

FRANCISCI II. IMPERATORIS & REGIS I. DECRETUM III. ANNI 1802.

De Effectu Articulorum 56. An. 1741. et Art. 60. An. 1790. quoad Liberam, Regiamque Civitatem Segniensem conditorum, procurando.

Articulus 11.

Gratissimo animo exceperunt Status et Ordines, benignam Suae Majestatis Sacratissimae erga demissum eorundem quoad Liberam et Regiam Civitatem Segniensem interpositum Postulatum, editam Assecurationem, quod solutis praesentibus Comitiis, per exmittendam statim Commissionem, effectum Articuli 56. An. 1741. et Art. 60. An. 1790. clementer procuratura sit.

Pro Differentiis quoad Limites Regni cum vicinis Provinciis finaliter terminandis et Metis rectificandis, Commissarii denominantur.

Articulus 26.

Versus Styriam et Carnioliam.

Ex parte Regnorum Croatiae, Sclavoniae etc. cointelligenter cum Commissione versus Styriam, ex respectu Differentiarum Comitatus Szaladiensis.

Maximilianus Verhovacz, Episcopus Zagrabiensis, S. C. R. A. Majestatis Actualis Intimus Status Consiliarius.

Comes Adamus Orsich, S. C. R. A. Majestatis Camerarius.

Franciscus Ponekovics, Tabulae Banalis Assessor.

Item Zagrabiensis et Varasdinensis Comitatuum Vice-Comites.

De Terreno Repas et Diverticulo Kethely, per Confinium Varasdinense occupatis, Comitatui Simeghiensi restituendis.

Articulus 27.

Statibus et Ordinibus, reflexe ad Artic. 13. An. 1751. et Art. 63. An. 179⁰/₁ Postulatum quoad Terrenum Repas et Diverticulum Kethely, per Confinium Varasdinense occupata reiterantibus: Sua Majestas Sacratissima benigne resolvere dignata est: quod Politico-Militarem mixtam Commissionem, coram qua Partes praetendentes Expositionem et Praetensionem suam legitimare possint, mox benigne denominatura sit.

FRANCISCI II. IMPERATORIS & REGIS I. DECRETUM IV. ANNI 1805.

Quoad modum Insurrectionis in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae renovatur Articulus 59. An. 1741.

Articulus 2.

Sua Majestas Sacratissima, erga humillimas ex parte Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae propositas preces, clementer annuit, ut provisio Articuli 59. An. 1741. relate ad Insurrectionem eorundem Regnorum in suo vigore permaneat et Insurrectio taliter coordinata, a Supremis Suae Serenitatis Regiae Domini Regni Palatini Ordinibus, in modernis extraordinariis rerum adjunctis dependeat.

§. 1. Praeter peditatum, Banderiali etiam eorundem equitatui, hac etiam vice peracta lustratione, ab altissimo Aerario provideatur.

FRANCISCI I. IMPERATORIS AUSTRIAE & REGIS HUNGARIAE DECRETUM QUINTUM ANNI 1807.

Flumen Civitas, Portusque inarticulatur, Gubernatori autem Fluminensi in Tabula Procerum, Ablegatis vero Civitatis Fluminensis in Tabula SS. et OO. Sessio et Votum tribuitur.

Articulus 4.

Sua Majestate Sacratissima ne diutius ardentia vota Statuum et Ordinum Regni moretur, annuente, Civitas Fluminensis, portusque per Augustissimam Imperatricem et Reginam Mariam Theresiam peculiari Diplomate jam Regno incorporata, praesenti Articulo ad idem Regnum pertinere declaratur. Una vero

§. 1. Gubernatori Fluminensi sub Comitiis Regni in Tabula Procerum, Ablegatis autem Civitatis Fluminensis in Tabula SS. et OO. competens Sessio et Votum tribuetur.

De Conservatione Sylvarum.

Articulus 21.

Ut Sylvarum devastatio, seu illa ex causa dilapidationis, sive quod possessorium ambiguae liti, aut metali controversiae subjectum sit, sive denique ob compossessorium irregulatum eveniat, ad mentem Articuli 57. An. 179⁰/₁. efficacius praepediri possit, circa Sequestrnm Devastatoribus imponendum, annuente Sua Majestate Sacratissima, sequentia adhuc statuta sunt:

§. 8. Sequestrum eousque durabit, donec desolationis causa cessante, auctoritate Magistratuali sublatum non fuerit, aut in casu inducendae proportionis, Processus eatenus motus terminabitur.

§. 11. Actor mox ac litem movere intendit; dimensionem actionalis Sylvae instituat, mappamque ad communes Compossessoratus sumptus conficiendam in primordiis Processus exhibere conetur. Ne autem hujus confectio facto Compossessorum retardetur, omnis praemisso scopo, praevie in Generali Comitatus Congregatione declarando, instituendae Dimensionis et Mappationis turbatio sub poena violentiae toties, quoties Actoratu partis laesae desumenda prohibetur et ne interea etiam, donec lis ad desumptionem poena definita fuerit, cursus causae adhaereat ac ut dimensio in effectum perduci possit, in casu continuandae renitentiae, Jurisdictio erga recursum Actoris ad expensas renitentis sufficientem assistentiam ordinabit.

De Possessionibus Drenovbok, Krapje, Jeszenovacz et Puszka Confinio, et Jurisdictioni Banali restitutis.

Articulus 25.

Status et Ordines Regni, Partiumque adnexarum demissas Suae Majestati Sacratissimae agunt gratias, quod Possessionum Drenovbok, Krapje, Jeszenovacz et Puszka ad Confinium Banale, et Jurisdictionem Banalem reapplicationem resolvere et effectum quoque benignae Resolutionis Suae procurare dignata sit.

De Fidedignitate Loci Credibilis Capitulo Bosnensi, seu Diakovariensi Jure postliminii restituta.

Articulus 26.

Capitulo Bosnensi seu Diakovariensi, Fidedignitas Loci Credibilis, testante Titulo 21. Partis 2. praehabita, Sua Majestate Sacratissima benigne annuente, Jure postliminii restituitur.

De Sessione Ablegatis Urbis Buccari in Comitiis assignata.

Articulus 27.

Urbe Buccari per Articulum 67. An. 179⁰/₁ jam recepta, ejusdem quoque Ablegatis, accedente benigno Suae Majestatis Sacratissimae annutu, sub Regni Comitiis in Tabula Statuum competens Sessio et Votum assignatur.

Ad dirimendas metales Limitum Quaestiones, inter Comitatum Bacsiensem, Veröczensem et respective Syrmiensem subversantes, Commissio ordinatur.

Articulus 30.

Ad metales limitum Quaestiones, quae relate ad plagam Zsiva et certas quasdam Insulas, quas Danubius circumfluit, inter Comitatum Bacsiensem, Veröczensem et respective Syrmiensem vertuntur, pro justo drimendas, benigne annuente Sua Majestate Sacratissima, Commissio ordinata est.

Hujusque in consequentiam nominati sunt Commissarii:

Comes Antonius Aponyi de Eadem, Camerarius Regius, Intimus Status Consiliarius et Comitatus Tolnensis Supremus Comes; Comes Franciscus Györy de Radvány, Camerarius Regius; Comes Henricus Sermage; Franciscus Bay de Ludány, Consiliarius Regius et Tabulae Regiae Assessor; Josephus Hertelendi de Eadem, Consiliarius Regius et Comitatus Torontaliensis Vice-Comes; Comitatuum item Baranyensis et Posegani, Vice Comites.

De Differentiis quoad limites Regni cum vicinis Provinciis determinandis et Metis rectificandis, Commissarii Regni denominantur.

Articulus 31.

In sequelam Articuli 26. An. 1802. renovata hic loci ejusdem Dispositione, Sua Majestate Sacratissima benigne annuente, Status et Ordines decernunt:

Versus Styriam et Carnioliam.

Ex Parte Regnorum Croatiae, Sclavoniae etc. cointelligenter cum Commissione versus Styriam ex respectu Differentiarum Comitatus Szaladiensis: Maximilianus Verhovacz, Episcopus Zagrabiensis, S. C. R. A. M. Actualis Intimus Status Consiliarius; Comes Adamus Orsich, S. C. R. A. M. Camerarius; Franciscus Ponekovich, Tabulae Banalis Assessor; Item Zagrabiensis et Varasdinensis Comitatuum Vice-Comites.

FRANCISCI I. IMPRATORIS AUSTRIAE & REGIS HUNGARIAE DECRETUM SEXTUM, ANNI 1808.

Relate ad Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Insurrectionem Articulus 59. An. 1741. renovatur.

Articulus 5.

Accedente Suae Majestatis Sacratissimae Benigno Annutu, respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Provisio Articuli 59. An. 1741. in suo vigore ea ratione relinquitur, ut Insurrectio praefatorum Regnorum relate quoque ad constituendam Exercituationis Modalitatem, in Generali eorundem Congregatione coordinetur, taliterque coordinata, Legis Casu intra Triennium eveniente, hosti opponatur, semper tamen in conformitate Articuli 66. An. 1681. ab immediatis Domini Comitis Bani Ordinibus dependeat.

FRANCISCI I. IMPER. AUSTR. & REG. HUNG. DECRETUM VII. ANNI 1812.

ARTICULI COMITIORUM.

De Oblationibus pro Ludovicea militari Academia continuative factis.

Articulus 2.

Inde ab Anno 1808. quo Institutum Academiae militaris Ludoviceae per Articulum 7. An. 1808. stabilitum est, liberis Oblationibus per complures patriae

Cives, prout et nonnullas Jurisdictiones ac Privatos etiam e patriotico, quo in idem Institutum feruntur, zelo, pro incremento Instituti ejusdem factis.

Status et Ordines Sua Majestate Sacratissima benigne annuente, in consequentiam praecitati Articuli nomina offerentium cum specifica Summarum, per eosdem oblatarum Designatione, praesenti Articulo inserenda, decreverunt:

Series illorum, qui post conditum Articulum 7. An. 1808. pro Ludovicea militari Academia oblationes fecerunt.

E Regnis Croatiae et Sclavoniae.

	flor.
Episcopus Zagrabiensis Maximilianus Verhovacz, ad summam 12000 flor. sub Comitiis anni 1808. oblatam, addidit	5000
Episcopus Pharensis et Praepositus Capituli Zagrabiensis Emericus Raffay, suo et antelati Capituli Zagrabiensis nomine offert	5000
Comes Bartholomaeus Patachich, Comitatus Posegani Supremus Comes, ad appromissos sub Comitiis anni 1808. 4000 flor. additit	6000
Comes Fridericus Patachich offert	10000
Baro Nicolaus Peharnik offert	1000
Joannes Jellachich de Buzin, S. C. et R. A. Majestatis Generalis Campi Mareschalli Locumtenens offert	5000
Ignatius Jellachich, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Cantor et Canonicus	1000
Vincentius Jellachich de Buzin	2000
Joannes Nepom. Jellachich, S. C. et R. A. Majestatis Capitaneus . .	1000
Stephanus Jellachich, Comitatus V. Notarius	1000
Comes Joannes Draskovits de Trakostyan, S. C. et R. A. Majestatis Camerarius	10000
Silvester Bubanovich, Episcopus Crisiensis	1000

Ex parte Comitatus Syrmiensis post Comitia anni 1808.

A gremiali Nobilitate incassati et effective Cassae Instituti illati . 1061 flor.

FRANCISCI PRIMI IMPERATORIS AUSTRIAE & REGIS HUNGARIAE DECRETUM OCTAVUM, ANNI 1827.

De Partium Regni Trans-Savanarum et Littoralis Hungarici reincorporatione.

Articulus 13.

Posteaquam Sua Majestas Sacratissima Partes Regni Trans-Savanas, Maritimas item, quae alias nomine Littoralis Hungarici veniunt, Bello 1809. terminato

avulsas, subinde vero post felicem earundem revindicationem, Sacrae Regni Coronae reapplicuisset et ad eum statum, in quo ante amissionem Anno 1809. fuerant, reposuisset: Status et Ordines hanc reapplicationem pro sera Posteritatis memoria Legi inferendam decreverunt.

Nulli dubitantes: quaevis hujus Regni et Partium ei adnexarum Tenuta et Partes, tam per Altefatam Suam Majestatem Sacratissimam, quam et Augustos ejusdem Successores, in conformitate Conditionis III. Diplomatis Inauguralis, de toto reincorporandas esse.

De Causis Civilibus Trans-Savanarum et Maritimarum Partium, coram praeexistentibus Foris Illyricis ventillatis.

Articulus 14.

Ut respectu Causarum Civilium, quae coram praeexistentibus Foris Illyricis ventillatae, necdum definitae sunt, aut definitae, adhuc a revisione pendent, rationi Justitiae, cum commoditate Causantium, majorique temporis et sumptuum compendio, administrandae, uberius consulatur, annuente Sua Majestate Sacratissima statuitur:

§. 1. Omnes Causae Civiles, ante Epocham factae Trans-Savanarum et Maritimarum Partium, Imperio Gallico cessionis, coram legalibus Regni Foris promotae et successive ad praeexistentia Tribunalia Illyrica, demum ad Fora benigne delegata derivatae, quae necdum definitae sunt, ad primaeva legalia Fora, pro ferendo in iisdem secundum Regni Leges Judicio reinviantur, — decisae autem tam eae, quae in praeexistente Appellatorio Foro revisae, aut necdum revisae sunt, per Partes, Appellatae gradualis beneficio uti volentes, ad legalia revisoria Fora deducentur.

§. 2. Causae coram praeexistentibus Foris Illyricis incaminatae, quae necdum terminatae sunt, aut terminatae, adhuc a revisione pendent, quoad strictum Causae meritum, secundum dispositionem Legum, illo tempore praevigentium, quo factum, Causae fundamentum constituens, motionique ejusdem occasionem praebens, intervenit, definientur; Provisione quoad quaestionem aviticitatis, aut ex Legibus patriis determinandae praehabitorum Jurium indolis, quae se relate ad facta, in tempus, quo Partes hae amissae erant, usque reincorporationem incidentia, evolverent, ad futura Comitia reservata, — forma autem Procedurae et Judiciariae Executiones, normae, per Regni Leges praescriptae, conformabuntur.

§. 3. Causae Partium Trans-Savanarum coram praeexistente Carlostadii Tribunali incaminatae ac necdum terminatae, quae contra Nobiles, aut ratione Bonorum Nobilitarium contra Ignobiles promotae, aut coram Sedibus Dominalibus sub Gallico Regimine, aut intermedio usque effective subsecutam earundem Partium reincorporationem tempore suscitatae fuerant, coram Tabula Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Judiciaria continuabuntur.

§. 4. Causae coram praeexistente Carlostadii Tribunali promotae et necdum definitae, quae inter Cives Liberae Regiaeque Civitatis Carolostadiensis vertuntur, vel extraneis Actoribus, contra gremiales Cives suscitatae fuerunt, ad

ejatem Magistratum Civicum, pro continuatione et administranda Causantibus Justitia relegantur.

§. 5. Tam Causae §§. 3. et 4. denotatae, quam et hactenus per forum primae Instantiae definitae Nobilitares et Civicae, in via Appellationis per Tabulam Banalem et in suprema instantia per Tabulam Septemviralem revidebuntur.

§. 6. Causae coram praeexistentibus in Littorali Hungarico Foris Illyricis promotae et necdum terminatae, quae Cives et Jurisdictionatos Liberarum et Maritimarum Civitatum Fluminensis et Buccaranae concernunt, ad suum legale Forum, cujusvis Civitatis localem Magistratum, pro ulteriori pertractatione et decisione inviantur.

§. 7. Causae Mercantiles et aliae ex natura sua Tribunali Cambio-Mercantili et Consulatus Maris subjacentes, ad eadem Fora pro continuatione et decisione relegantur et in usitata gradualis Appellationis via per Gubernium Fluminense revidebuntur.

§. 8. Causae Incolas Districtus Maritimo-Cameralis concernentes, ad legale Forum suum, Sedem videlicet Dominalem Cameralem pro continuatione relegantur.

§. 9. Causae Partium Maritimarum §-phis 6. et 8. commemoratae, tam hactenus definitae, quam et secundum provisionem hanc definiendae, in via gradualis Appellatae per Gubernium Fluminense et in suprema Instantia per Tabulam Septemviralem revidebuntur; Superrevisione hac de Causis Cambio-Mercantilibus non intellecta.

Commissarii Regni in locum demortuorum, vel aliter impeditorum Individuorum, ad Commissiones, per Articulos 28. et 29. An. 1807. ordinatas, denominantur.

Articulus 16.

AD COMMISSIONES LIMITANEAS.

Versus Styriam et Carnioliam.

In locum Maximiliani Verhovatz de Rakitovetz, semet a functione dispensari petentis: Philippus Princeps de Batthyan, Perpetuus in Nemeth-Ujvar, Comes a Strattman, I. Ordinis Leopoldi Imperatoris Commendator, S. C. et R. A. M. Camerarius et Comitatus Castriferrei Perpetuus et Supremus Comes. — Loco Comitis Adami Orsich: Comes Franciscus Voikfy de Klokoch, S. C. et R. A. M. Camerarius. — Loco denati Pauli Poszvek: Stephanus Osegovich, idem, qui supra. — Et siquidem quaestiones limitaneae inter Districtum Fluminensem et Carnioliam subversantes, ad eandem hanc Commissionem relegatae essent, insuper Franciscus Ürmenyi de Eadem, idem, qui supra — Comes Antonius Majlath de Szekhely, Consiliarius Regius et Gubernii Regii Fluminensis Assessor, — Ignatius Bezeredy de Eadem, Comitatus Jaurinensis Subst. V. Comes et Ablegatus, — Isidorus Jankovich de Daruvar, S. C. et R. A. M. Camerarius et Comitatus Posegani Nuncius.

De gremialibus Viis, per Praedialistas, Decimalistas et Libertinos Regni Croatiae reparandis.

Articulus 32.

Ratione promovendi Commercii et servitii publici, Viarum Postalium et Commercialium in bono meabilitatis statu conservationem exigente, cum benigno Suae Majestatis Sacratissimae Annutu statutum est:

§. 1. Ut Praedialistae, Decimalistae et Libertini trium Croatiae Comitatuum, ad reparationem et conservationem Postalium et Commercialium Viarum, per gremium Territorii sui decurrentium, in justa proportione concurrere teneantur.

Oblata pro Museo Nationali Hungarico facta inarticulantur.

Articulus 35.

§. 2. Obtulerunt autem in Aere parato:

	flor.	xr.
Comitatus Crisiensis	2507	17
„ „ Poseganus	1727	48 $^{2}/_{8}$
„ „ Syrmiensis	7331	15

Subin ad Valorem Schedarum Reluitoriarum elevatos.

	flor.	xr.
Comitatus Varasdinensis	2916	59 $^{6}/_{8}$
„ „ Veröczensis	1763	14
„ „ Zagrabiensis	8169	36 $^{4}/_{8}$
L. R. Civit. Caproncza	251	33
„ „ Carolostadium	1283	33
„ „ Crisium	102	6
„ „ Posega	117	49
„ „ Varasdinum	500	—
„ „ Zagrabia	1607	41 $^{2}/_{8}$
Flumen Civitas Maritima	6272	50
Buccari „ „	1699	36
Districtus Maritimus Cameralis	428	5

FRANCISCI I. IMPER. AUSTR. & REG. HUNG. DECRETUM IX. ANNI 1830.

ARTICULI COMITIORUM.

De Administratione salis maritimi et de fodinis sulphuris Radobojensibus.

Articulus 10.

Grati venerantur SS. et OO. Regni eam Suae Majestatis Sacratissimae benignam declarationem; — quod in sensu Legum de independentia et activitate Camerae Regiae Hungarico-Aulicae sancitarum, administrationem salis maritimi in Littorali Hungarico eidem Camerae Hungaricae subordinare, relate autem ad fodinas sulphuris Radobojenses SS. et OO. securos reddere dignata sit: se ea, quae Legis sunt, disposituram.

De venditionibus quoad Bona trans Savum sub Imperio Gallico, subin Regimine provisorio interventis, Judiciariis item Executionibus ibidem peractis.

Articulus 12.

Ut diserta adsit Legis provisio, qualem in Jure considerationem subire debeant venditiones perennales, quae sub Imperio Gallico in Partibus Regni Trans-Savanis, illae praeterea, quae revindicatis subin iisdem partibus sub Provisorio Regimine intervenerunt? quomodo item Judiciariae Executiones sub utraque hac Periodo peractae, Bona denique per Ignobiles comparata, tractanda sint? statuitur:

§. 1. Quod invalidationi venditionum praemissarum sub Regimine Gallico aut Provisorio in partibus Trans-Savanis interventarum, si secus in sensu Legum Patriarum invalidationi obnoxiae sint, factum praecise venditionis ad denotatum tempus recidens non obstet.

§. 2. Executiones autem Judiciariae sub attacta temporis Periodo peractae ad instar pignoris Judiciarii considerabuntur.

§. 3. Relate denique ad Bona per tales, qui possidendorum Bonorum incapaces sunt, tunc comparata, praeexistens Regni Legum dispositio observabitur.

FERDINANDI I. IMP. AUSTR. & REG. HUNG. V. DECRETUM I. ANNI 1836.

ARTICULI DIAETALES.

De iis, quae praeter usufructuationem Constitutivi ad beneficia colonorum referuntur.

Articulus 6.

§. 8. Praeter praerecensita urbarialia beneficia subditi nec jura venationis, piscationis et aucupii, in quae involantes poena contrabandae plectendi erunt, — porro citra privilegium nec jura nundinarum, fori, telonii et nauli exercere poterunt, — in Comitatibus interim Temes, Torontal et Krasso vigens illa urbarialis provisio, tenore cujus in paludibus, scopo exercendae inevitabiliter necessariae arundinationis uni alterique Communitati tributis, piscandi quoque facultas ejusmodi beneficio provisae Communitati libera est, vigorem porro etiam retinebit; si autem Colonus ex concessione Dominii beneficium cujuscunque speciei molendini, aut alterius juris curialis regalis haberet, tunc illud via urbariali, re interea integre servata, penes adaequatam superaedificatorum ac quarumvis meliorationum legali via suscipiendam aestimationem et legitimarum investitionum refusionem dominus recipere potest; taxis molaribus in Comitatibus Posega, Veröcze et Szerem hactenus vigentibus, quae in specie a mola cochlearia in uno — reflexe vero ad alias ordinarias fluviales molas, a singula rota in duobus — a Danubiali demum et Dravana mola in octo, census titulo domino terrestri quotannis pendendis florenis defixa sunt, interea elevari nequeuntibus; si tamen in quopiam loco, aut relate ad quodpiam objectum privilegia, vel contractus adessent, continentiis horum standum erit. Praeexistentia nihilominus jura regalia, curialia, vel secus fundum afficientia, si et in quantum ea subditi jure proprio se possidere praetendant et usus huic praetensioni suffragetur, via juris coram competente foro praeassumenda, poterunt sufferri.

De praestationibus Subditorum.

Articulus 7.

In Comitatibus attamen Temes, Torontal et Krasso, prout et Posega, Veröcze et Szerem filatura locum non habente, in posterioribus tribus Comitatibus nec a lino et canabibus, neque ab aliis, ad sic dictam minorem decimam spectantibus vegetabilibus, si haec in hortis aut terris, urbariali praestationi secus subjectis, procreata fuerant, prout nec a prunis decima desumi potest.

§. 3. In Comitatibus attamen Posega, Veröcze et Szerem a vineis, statum sessionalem haud ingressis, Domino terrestri pintae competunt, ea quidem ratione, ut a singula urna pocreati musti, unica tantum pinta, sive duae mediae mensurae Posoniensis desumi valeant.

§. 5. Quantum ad servitutes seu robottas attinet: singulus integrae Sessionis Colonus in Hungaria (exceptis Comitatibus Temes, Torontal et Krasso) et in Croatia obligatur singula heddomada unam, adeoque per Annum 52 jugales operas, vel Domino sic volente, loco unius jugalis duas manuales operas praestare, — majore vel minore Constitutivo proviso Colono a proportione hujus mensurae ad labores obligato. Inquilini domiciliati tenentur per annum manualibus 18, Subinquilini vero manualibus diebus 12, — in Comitatibus autem Posega, Veröcze et Szerem usus ille, ut per annum Colonus ab integra Sessione labores 24 dierum cum duobus jumentis, et sic proportionate a media et quartali Sessione dimidiam, vel quartam laborum horum partem praestet et si Colonus jumentis caret, aut Dominus terrestris manualem laborem requirit, laborem unius diei cum jumentis, duarum dierum manuali labore redimat, residuae vero 28 jugales, aut 56 manuales operae, et non plures solum erga solutionem 24 cruciferorum pro una bijugali et 12 cruciferorum pro una manuali opera exigi possint; Inquilinus demum domum habens per annum manuali labore 12 diebus, itidem manuali labore servire teneatur — porro etiam observandus erit. In Comitatibus denique Temes, Torontal et Krasso sequens hucdum etiam usuata robottarum mensura obtinebit.

§. 7. Longa vectura pro futuro penitus abrogata, — in vicem hujus (Comitatibus Temes, Torontal et Krasso, Posega item, Veröcze et Szerem in quibus attacta praestationis species nec hucdum viguit, exceptis) singula Sessio colonicalis duabus bijugis operis et in hujus proportione minoris Constitutivi Coloni ad solitos oeconomicos labores, — excepta arutara — concurrent.

§. 8. Subditi in sylvis, sessionali Constitutivo non inclusis, beneficio lignationis gaudentes, et quidem Colonus a singula integra Sessione es sic a proportione minoris Constitutivi, e sylva, per Dominium nunquam tamen ultra distantiam duorum miliarium ordinariorum a loco habitationis Coloni metiendam, designanda, unam lignorum orgiam Posoniensis mensurae ad locum, per Dominium, intra tamen ambitum Dominii, nunquam itidem ultra distantiam duorum milliarium ordinariorum, a loco desectionis lignorum usque locum deonerationis currus computandorum, indicandum, convehere ac in eadem praescripta mensura collocare, Inquilini vero domiciliati singillative mediam orgiam consecare tenentur; — usu vigente non solum in Comitatibus Temes, Torontal et Krasso, in quibus hucdum etiam hoc titulo nulla praestatio Domino obvenit, verum etiam in Comitatibus Posega, Veröcze et Szerem, ubi convectio lignorum per incolas jumentis haud provisos consecandorum, cum diserta ad sylvas in territorio possessionis, quam subditus incolit, situatas restrictione, incolas jumentis provisos manet, de hinc etiam observando.

De Judiciis maritimo-commercialis Urbis, Districtus, liberique Portus Fluminensis.

Articulus 30.

§. 1. Causae civiles Incolarum Urbis ac Districtus Fluminensis, — iis, quae ex sua indole, aut ex privilegiali Partium conditione ad Forum Cambio-Mercan-

tile et Consulatus Maris spectant, exceptis, — coram ejate Foro Judicum et Rectorum tamquam Judicio Civico ac Districtuali primae Instantiae inchoabuntur, et ad exigentiam Regni legum ac ordinis judiciarii definientur; appellata autem relate ad praedictas causas ad Capitaneam Sedem Judiciariam, abinde vero immediate ad Tabulam Septemviralem competet.

§. 2. In Districtu hoc provisorie hucdum ocservato Codice Criminali Theresiano extra vigorem posito, — Causae Criminales coram Capitanea Sede Judiciaria suscitabuntur et norma per leges Regni sancita pertractabuntur, unde causae hae via appellatae ad Tabulam Regiam, inde vero ad Tabulam Septemviralem transmittentur.

§. 3. Quum Urbs et Districtus Fluminensis tam e peculiari liberorum Portuum consideratione, quam et ex eo, quia separatum a reliquis Regni Jurisdictionibus corpus constituerent, specialem subeant reflexionem, hinc Capitanea Sedes Judiciaria personalium quoque contra nobiles Regni in gremio Districtus hujus habitantes suscitandarum causarum primae Instantiae Forum constituet; ejusmodi in causis latae sententiae aeque ad Tabulam Regiam, inde vero ad Tabulam Septemviralem appellabuntur.

§. 4. Judicium Civicum ac Districtuale e quinque ad integritatem Judicii necessariis Judicibus Rectoribus, uno quippe Capitaneali et quatuor Communitativis componetur, viris juris gnaris, aut, qui in praegesto quopiam munere specimina jurisprudentiae ediderunt, maturitate judicii, probitate morum et fiducia Concivium suorum gaudentibus, atque inter hos praeferenter in gremio Civitatis possessionatis.

§. 5. Capitanea vero Sedes Judiciaria consistet minimum e septem ad integritatem Judicii inevitabiliter requisitis Judicantibus, Praeside quippe Districtuali Capitaneo, una munus Gubernatoris Litoralis Hungarici gerente, aut hoc absente vel impedito, Vice-Capitaneo, — coassidentibus item adminus sex patriciis Consiliariis, per Capitaneale Consilium eligendis et per Praesidem more consveto convocandis.

De oblatis, ad fundationem Academiae militaris hungaricae Ludoviceae continuative factis.

Articulus 39.

Draskovich Georgius Comes	1000	flor.	Conv.	Mon.
Syrmiensis Comitatus	269	„	„	„
Consilium Gubernii Fluminensis	200	„	„	„

De Juris cursu.

Articulus 55.

Ad accelerandum Juris cursum, donec eatenus uberius constitutum fuerit, statuitur:

§. 1. Sub affuturis Regni Comitiis in Curia Regia et Tabula Banali causae criminales, magistratualis et divortiales, non absimiliter causae pauperum, viduarum et orphanorum appellatae et penes praememoratarum harum causarum in pertractatione prioritatem, reliquae causae quoque civiles appellatae revidebuntur, latae in illis sententiae publicabuntur et in executionem sumentur; Tabula Regia quoad has causas in duplici quoque Senatu judicare poterit.

§. 2. Provisio §-o 1-mo Articuli 6. An. 1830. contenta relate ad cuncta reliqua Fora sub decursu quoque affuturorum Comitiorum extenditur.

§. 3. Ut vero extra tempus Comitiorum aggregatae causae eo celerius dijudicari valeant: omnis generis appellatae causae penes Tabulam Regiam in duplici Senatu revidebuntur; Praeside Tabulae hujus ex ordinariis ejusdem membris, initio cujusvis termini, ad utrumque Senatum sub toto termino permanentia sufficientia Individua deligente; — de augendo Tabulae Regiae individuorum numero, praemisso ex obtutu necessario, Sua Majestate Sacratissima benigne provisura.

FERDINANDI I. IMP. AUSTR. & REG. HUNG. V. DECRETUM II. ANNI 1840.

ARTICULI COMITIORUM.

In re Urbarii relate ad quasdam legum sub Comitiis anni 1836-ti perlatarum provisiones clarificandas aut modificandas.

Articulus 7.

In reliquo legis hujus dispositio, in respectu consecationis et devectionis lignorum, ad Comitatus etiam Posega, Veröcze et Szerem extenditur; in quantum nihilominus in nonnullis praeattactorum trium Comitatuum Possessionibus consectio et devectio lignorum hucdum in usu non fuit, prout et in Comitatibus Temes, Torontal et Krasso, ubi sub titulo hoc nullae hactenus praestationes obveniebant, hac in parte praeexistens usus deinceps etiam manutenetur.

De processibus Juris, in sequelam Articuli 14. An. 1827., coram Tabula Judiciaria Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae decurrentibus, ad Tabulam Banalem transderivandis.

Articulus 25.

Dispositio Articuli 14. An. 1827., vigore cujus causae intuitu bonorum nobilitarium, in Partibus Trans-Savanis sitorum, sub gallico regimine, aut intermedio usque subsecutam Partium earundem reincorporationem tempore coram Provinciali Tribunali Carolostadiensi promotae, ad Tabulam Judiciariam Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae relegantur, taliter explicatur et clarificatur: quod

haec legis provisio ad tales solum causas referenda sit, quae nullam juris aut aviticitatis quaestionem, ad Judicatum Tabulae Banalis pertinentem, involvunt, — causae autem hujusmodi quaestionum dijudicationem involventes, nec illis, quae de praesenti coram Tabula Judiciaria Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae decurrunt, exceptis, in sequelam hujusce clarificatoriae et modificatoriae legis pro continuatione ad legale Tabulae Banalis Judicium illico transponantur.

Diverticulum Zsiva et insulae Cseb, alias Kis-Nestin, non secus Butykovacz, alias Neo-Vukovar Comitatui Bacsiensi ingremiantur.

Articulus 36.

In consequentiam relationis, per Deputationem scopo accomodandarum limitanearum, inter Comitatus Bacsiensem et Syrmiensem ac respective Bacsiensem et Veröczensem subversantium differentiarum Art. 30. An. 1807. exmissam, Suae Majestati Sacratissimae praestitae, tam diverticulum Zsiva, quam etiam insulae Cseb, alias Kis-Nestin et Butykovacz, alias Neo-Vukovar Comitatui Bacsiensi iugremiantur.

§. 1. Decisione mutuorum privatorum jurium et praetensionum antelati diverticuli et praememoratarum insularum possessorum ad ordinariam juris viam sdectante, eadem in actuali suo statu integre conservabuntur.

Fundatio orphanotrophii, per Alexandrum condam Alagovich Episcopum Zagrabiensem facta, in tabulas legum refertur.

Articulus 41.

Alexandro condam Alagovich, dum viveret Episcopo Zagrabiensi, e nobili ad promovendum bonum publicum et sublevandam fatis pressam humanitatem directo conatu in L. R. Civitate Posega orphanotrophiam fundante, praeclara haec et ex pietate imitatione digna orta fundatio pro perenni memoria inarticulatur.

De oblatis ad eruditam Societatem hungaricam continuative factis.

Articulus 42.

Nicolaus Jankovich	1000	for.
Civitas Fluminensis	1000	„
Alexander Bujanovics	400	„

FERDINANDI I. IMP. AUSTR. & REG. HUNG. V. DECRETUM III. ANNI 1844.

ARTICULI DIAETALES.

Articulus II.

De lingua et nationalitate hungarica.

§. 3. Lingua diaetalis in posterum exclusive hungarica erit; unice Ablegatis Regnorum adnexorum admisso: ut si in lingua hungarica versati non essent, in Comitiis, intra proximum sexennium asservandis, suffragia sua lingua etiam latina depromere valeant.

§. 7. Jurisdictiones Partium adnexarum litteras Jurisdictionum Regni Hungariae hungarica, — hae vero illarum latina etiam lingua exaratas, prompte acceptare, pertractare atque congruo responso superare tenebuntur.

§. 8. Sua Majestas Sacratissima jam benigne disposuit, ut lingua hungarica in Academia et cunctis Gymnasiis Partium adnexarum, qua studium ordinarium doceatur; non secus

§. 9. Sua Majestas eatenus quoque clementer providere dignabatur, ut in scholis, intra fines Regni existentibus, lingua vehicularis institutionis publicae hungarica sit.

Articulus V.

De ignobilium quoque ad cuncta Officia pubblica applicabilitate.

In Regno Hungariae Partibusque adnexis natis vel Indigenatum consecutis, cujuscunque lege receptae Religionis incolis, in quibusvis Officiis publicis, seu denominatione haec, seu electione conferantur, adeundis, id, quod ad coetum nobilium non pertineant, impedimento esse non potest.

Articulus VI.

De nonnullis Codicis Cambio-Mercantilis Articulo 15. anni 1840 comprehensi paragraphis clarificatis et respective modificatis.

§. 9. Ad punctum h), §. 2. Partis II. additur:

„Civitates et Portus Segniensis ac Carlopagensis, totum item maritimum Regiminis Confiniarii Ottochani littorale, una cum locis maritimis Jablanacz et Gyurgyevacz.“

Articulus VII.

De Provisionibus Articuli 22. anni 1840 ampliatis et respective modificatis.

§. 1. Ad calcem §. 1. de Judicatu Concursuali agentis, additur:

„In districtu maritimo-camerali judicatum concursualem in prima instantia Tribunal-Cambio-Mercantile Fluminense, in Districtu vero Nagy Kikindensi, Comitatui Torontaliensi ingremiato, Magistratus Districtualis exercebit.“